MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - III - 1953.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

PIUS PP. XII. *Constitutio Apostolica* de spirituali emigrantium cura . . . . . Pag. 7

— *Epistula Encyclica* ad Venerabiles Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios Orientalium Ecclesiarum, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. (Adn. C. PUJOL) . . . . . » 23

— *Motu proprio* de S. R. E. Patrum Cardinalium habitu . . » 40

S. CONGREG. RITUUM. Dubia. - Decretum. - (Adn.: S. MATTEI) » 41

— *Constitutio Apostolica* de disciplina servanda quoad ieiunum Eucharisticum . . . . . » 44

S. CONGREG. S. OFFICII. Instructio de disciplina circa ieiunium eucharisticum servanda . . . . . » 52

S. C. Sancti Officii.

DECRETUM: Proscriptio libri: ERNST MICHEL, *Ehe.* (Feria IV, die 3 decembris 1952). (Adn. J. G.) . . . . . » 58

JURISPRUDENTIA S. R. ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. PIETRO MATTIOLI, *Ponente.* Dioecesis N. (x - z). *Nullitatis Matrimonii.* d. 7 nov. 1951 . . . . . » 63

Coram R. P. D. ARCTURO WYNEN, *Ponente.* ROMANA. *Nullitatis Matrimonii.* d. 9 aprilis 1952 . . . . . » 71

Coram R. P. D. IOANNE M. PINNA, *Ponente.* P. *Nullitatis Matrimonii* (D. L.). Incidentis de novi capitis admissione. *Decretum:* die 15 nov. 1952 . . . . . » 74

STUDIA ET CONSULTATIONES

R. SPIAZZI. De vitae societatis institutis quae in Nuntio Natalicio S. P. PII XII continentur. . . . . » 79

G. OESTERLE' *O. S. B.* De pluralitate parochorum . . . . » 86

L. BENDER. Legitimatio prolis sola disponsatione quin sequatur matrimonium. (Can. 1051) . . . . . » 102

*** Qninam sit in singulis Nationibus rei ecclesiasticae alienandae valor chartaceus, ultra quem requiratur licentia Sedis Apostolicae . . . . . » 109

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

LEGISLAZIONE

Legge 18 dicembre 1952 n. 2522. Concorso dello Stato nella costruziane di nuove Chiese . . . . . » 113

D. P. R. 2 ottobre 1952 n. n. 2590. Modificazione dell'art. 44 (secondo comma) sul regolamento sulla liquidazione e concessione dei supplementi di congrua al clero . . . . . Pag. 115

GIURISPRUDENZA.

Cassazione civile Sez. I, 17 maggio 1952 n. 1428. Divorzio - Inammissibilità per l'ordinamento giuridico italiano . . . . » 115

Cassazione civile Sez. Un. 8 luglio 1952 n. 2062. Sepoltura - Cimiteri - Diritto del concessionario sull'area cimiteriale - Rapporto con la P. A. - Affievolimento . . . . . » 116

Tribunale di Roma - Sez. XII. 5 giugno 1952. Sentenza (S. R. Rota c. Coen Fausto ed altri) . . . . . » 117

Brasile

Il divorzio in Brasile. (B. MIELE). . . . . » 132

Gallia

Le concours financier de l'Etat à l'enseignement privé du premier dégré. (J. T.) . . . . . » 141

RECENSIONES

PIUS XII. *Discorsi e radiomessaggi.* (I. P.) . . . . . » 147

D. LAZZARATO. *Chronologia Christi seu discordantium fontium concordantia ad iuris normam.* (E. VOGT) . . . . . » 148

E. F. REGATILLO. *Institutiones iuris canonici.* Voll. I-II (A. M. PETRU) » 150

G. VROMANT. *Jus Missionarium.* DE MATRIMONIO. (V. BARTOCCETTI) » 151

A. C. JEMOLO. *Il Matrimonio.* e G. TEDESCHI. *Il regime patrimoniale della famiglia.* (V. BARTOCCETTI) . . . . . » 151

G. CATALANO. *Sulla equiparazione agli effetti tributari del « fine di culto e di religione » con i fini di « beneficenza » e « istruzione »* (F. SANTOSUOSSO) . . . . . » 153

I. ROGGER. *Le Nazioni al Concilio di Trento durante la sua epoca imperiale 1545-1552.* (* * *) . . . . . » 156

A. BURDEUS. *Lauros y Palmas.* (A. PUGLIESE) . . . . . » 158

V. GENOVESI. *Lyra Sacra.* (I. P.) . . . . . » 159

DOCUMENTA

Pii PP. XII. Allocutio ad Sacerdotes spirituali regimini Italorum migrantium in Europa addictos habita die 6 Augusti 1952 . » 163

— Iis qui interfuerunt Conventui primo internationali de histopathologia systematis nervorum, Romae habita die 13 septembris a. 1952 . . . . . » 165

— Iis qui interfuerunt Conventui universali de Astronomia, Romae habita die 7 septembris a. 1952 . . . . . » 176

CHRONICA

Acta Pii PP. XII - Acta SS. Congregationum (A. MAURO) . . » 183

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1953_78_1

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SPIRITUALI EMIGRANTIUM CURA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Exsul Familia Nazarethana Iesus, Maria, Ioseph, cum ad Aegyptum emigrans tum in Aegypto profuga impii regis iram aufugiens, typus, exemplar et praesidium exstat omnium quorumlibet temporum et locorum emigrantium, peregrinorum ac profugorum omne genus, qui, vel metu persecutionum vel egestate compulsi, patrium locum suavesque parentes et propinquos ac dulces amicos derelinquere coguntur et aliena petere.

Decreverat enim omnipotens et misericors Deus ut consubstantialis Filius « in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo », [1] una cum Virgine Immaculata Matre pioque Custode, in isto quoque aerumnarum ac maerorum genere primogenitus esset in multis fratribus [2] eosque anteiret.

Quae solaminis in adversis argumenta et exempli prolationes ne elanguescerent sed potius in exsulibus ac emigratis producerent unum in laboribus confugium spemque christianam foverent, oportuit peculiari cura sedulaque adsistentia ab Ecclesia ipsi donarentur, qua morigerae vitae aleretur praxis et integra servaretur a maioribus tradita fides; insimul novi generis obstaculis apud exteras regiones ingruentibus, antehac haud cognitis nec praevisis, paria opponerentur remedia et apta suppeditarentur auxilia, praesertim adversus insidias pravorum hominum, impie, proh dolor, quaeritantium emigratorum consuetudinem potius ad spiritualem ipsorum ruinam quam ad materialem eorumdem utilitatem.

---

[1] *Phil.*, II, 7.
[2] Cfr. *Rom.*, VIII, 29.

Quantae vero angoris causae exstitissent immo et exstarent si huiusmodi evangelicum ministerium defecisset aut deficeret! Gravius enim dolendum foret quam tristibus divi Augustini temporibus cum Hipponensis Episcopus sacerdotes enixe hortabatur ne, prementibus calamitatibus, gregem ullo modo sine pastore derelinquerent, bona, si cum ovibus permansissent, futura ostendens, mala autem, si defuissent, certa praedicens: « Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati! quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt! quantus denique gemitus omnium, et quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum! Vide quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, aedificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia quae timentur, avertere ».[3]

TITULUS PRIMUS

De materna Ecclesiae in emigrantes sollicitudine

(Dein materna Ecclesia in emigrantes sollicitudo expenditur, conspectu interiecto historico, quo coepta maioris momenti hac in re ab ipsa anteactis temporibus suscepta opportune recoluntur.

Memoratis quae S. Ambrosius egit dixitque, ut deductos in catpivitatem miseros, post imperatorem Valentem apud Hadrianopolim profligatum, redimere valeret, religiosi Ordines pro captivis redimendis instituti, sacri praecones in Nigritas, domo ablatos et impiae negotiationi in Americae et Europae partibus obnoxios, reficiendos et Christo lucrifaciendos incumbentes, piaeque sodalitates, potissimum alma in Urbe, medio uti aiunt decurrente aevo, in peregrinorum commodum erectae, brevi recordatione attinguntur.

Uberius autem providentiae consilia et caritatis opera a saeculo XIX exeunte ad dies usque nostros in transmigrantium curam per Pontifices Maximos impensa traduntur.

---

[3] S. Augustinus, *Epistula CCXXVIII*, 8: Migne, *PL.* XXXIII, 1016 s.

Leo XIII — asseritur — benigne dilaudata sodalitate a S. Raphaële, suis civibus demigrantibus adiuvandis a Germaniae Episcopis fundata, Institutum Missionariorum a S. Carolo pro Italis emigratis, ope Servi Dei Joannis Baptistae Scalabrini conditum, agnovit; suisque hortamentis sacrum impulit Cremonensium Antistitem Jeremiam Bonomelli, ut Opus pro Italiae operariis ad exteras Europae regiones migrantibus conderet.

Beato Caeliti Pio X catholicorum operum pro commigrantibus in Europam, in Orientales regiones atque in Americam composita tribuitur ordinatio. Eo siquidem approbante, Societas Missionariorum a S. Antonio Patavino constituta est; clericis ac fidelibus Rutheni ritus, in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis commorantibus, idoneis normis cautum est; apud S. Congregationem Consistorialem peculiare Officium est excitatum de spiritali migrantium cura, ac datis ab eadem S. Congregatione aptis legibus de eiusmodi cura rite adhibenda, urbanum sacerdotum Collegium pro Italis ad externa emigrantibus initium sumpsit.

Benedictus XV, praeter cetera, Officium Praelati pro Italis in exteras terras transmigrantibus instituit, atque angustias condolens, quibus misere afficiebantur innumeri homines, teterrimo perdurante bello in captivitatem ducti, decrevit ut dioecesium Ordinarii ipsis per sacros administros prospicerent.

Pii XI sollertia Commissio, uti aiunt, pro Russia est constituta ad Russorum domo extorrium negotia expedienda, simulque Russicum Seminarium in Urbe conditum; dioecesis seu eparchia Planensis Graecorum in Sicilia erecta est; novae promulgatae sunt leges pro Italis in externa demigrantibus; ac denique Opus Apostolatus Maris ad spiritale, morale ac sociale maritimorum commodum ortum, est comprobatum.

Praesentis Pontificatus in demigrantium, profugorum atque peregrinorum bonum facinora cum rebus ab Ecclesia hisce novissimis temporibus gestis conseruntur. Vix inito armorum conflictu, prout per Benedictum XV primo furente bello factum erat, peculiaria Officia miseris egenisque recreandis et captivis exquirendis ac mittendis accipiendisque nuntiis instituta sunt; ad quae postmodum accesserunt Consilia bello infortunatis et profugis vel publicae custodiae locis detentis reficiendis, nova Migrationis Officia, Commissio, quam dicunt, Catholica Internationalis pro Emigratione, cuius est ubique exstantium eius generis consociationum nisus fovere, confirmare atque componere, et multigenae pro singularum regionum necessitatibus Missiones).

Modo normae feruntur pro spiritali migrantium cura gerenda:

TITULUS ALTER

NORMAE PRO SPIRITUALI EMIGRANTIUM CURA GERENDA

CAPUT I

De competentia S. Congregationis Consistorialis in emigrantes

Recognoscentes, adprobantes et confirmantes quae Decessores Nostri f. r., et praecipue B. Pius X, statuerunt, simul tamen eadem nonnihil, prout necessitas urgere videtur, immutantes, has quae sequuntur leges in posterum servandas volumus et decernimus.

1. - § 1. Sacrae Nostrae Consistorialis Congregationis est eidemque exclusive competit quaerere et ea omnia parare quae spirituali bono cedant emigrantium Latini ritus quocumque pergentium, collatis consiliis cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali vel cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide si agatur de adeundis territoriis quae sint isti vel illi Sacrae Congregationi subiecta.

§ 2. Sacrae item Consistorialis Congregationis est eadem quaerere et parare in favorem emigrantium Orientalium rituum, initis pariter consiliis cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, quotiescumque emigrantes unius vel alterius ritus Orientalis loca petant eidem Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali haud obnoxia nec praesto sit sacerdos proprii ritus.

2. - § 1. Sacerdotibus Latini ritus, si quando emigrent, unice cavebit Sacra Congregatio Consistorialis.

§ 2. Sacerdotes Latini ritus, Sacrae vero Congregationi pro Ecclesia Orientali aut Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiecti, migrari cupientes in territoria eisdem Sacris Congregationibus haud obnoxia, salvis quidem iuribus earundem Sacrarum Congregationum, stare quoque tenentur normis hanc in rem a Sacra Congregatione Consistoriali datis vel forte dandis.

§ 3. Quibus normis sese accommodare tenentur sacerdotes rituum Orientalium, emigrantes in territoria Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali non subiecta, firmis legibus et integro manente iure eiusdem Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

3. - § 1. 1° Unius Sacrae Congregationis Consistorialis est sacerdotibus, qui ex Europa vel Mediterraneis oris ad exteras transma-

rinas regiones, per quodvis temporis spatium, sive breve sive longum sive indefinitum, aut in perpetuum, migrare desiderent, licentiam proficiscendi ibique manendi aut diutius commorandi concedere.

2° Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici eandem licentiam concedere poterunt sacerdotibus illius nationis, apud quam legatione stabili funguntur, dummodo huiusmodi facultas eisdem attributa sit et reservata.

§ 2. 1° Quam licentiam obtinere debent sacerdotes, de quibus in § 1 n. 1°, ut, servatis ceteris de iure servandis, alienae dioecesi in regionibus transmarinis incardinentur.

2° Eadem licentia religiosi quoque indigent, nisi agatur de iis qui a Superioribus ad alias religionis suae domus mittantur; pariterque exclaustrati durante exclaustrationis tempore; necnon saecularizati ab Episcopo benevolo, sive pure et simpliciter sive pro experimento, recepti.

§ 3. Haec autem licentia, firmis ceteris legibus in decreto *Magni semper negotii* [1] statutis, ne concedatur nisi certo constet:

1° de bono oratoris vitae testimonio;

2° de iusta et rationabili migrandi causa;

3° de consensu tum Episcopi *a quo* discedit, aut Superioris si agatur de religiosis, tum Episcopi *ad quem* accedit;

4° de habito Sacrae Congregationis Concilii indulto si agatur de parochis, quoties absentia ultra duos menses protrahi debeat.

§ 4. Sacerdotes sive saeculares sive religiosi qui, obtenta licentia migrandi in aliquam regionem transmarinam, de una in alteram dicionem etiam eiusdem regionis demigrare desiderent, nova indigent licentia.

§ 5. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, incident in poenas eodem decreto *Magni semper negotii* latas [2].

4. Una Sacra Congregatio Consistorilais apostolicum indultum concedere valebit, ad normam canonis 216 § 4 C. I. C., ut paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis in commodum emigrantium constitui possint.

---

[1] S. C. Consistorialis, Decretum de clericis in certas quasdam regiones demigrantes, *Magni semper negotii*, 30 Decembris 1918, *A. A. S.*, XI, pp. 39-43.

[2] *L. c.* III, 16, *A. A. S.*, XI, p. 43: « Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeat. in irregularitatem incidant: a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione ».

5. - § 1. Sacrae pariter Consistorialis Congregationis est:

1° Adprobare, constito prius de oratoris vita, moribus ac idoneitate necnon de praestito ab Ordinario consensu, sacerdotes, sive saeculares sive regulares, qui incumbere cupiant in spiritualem curam emigrantium propriae nationis seu sermonis atque eorum qui iter maritimum arripiant aut in navibus quavis ratione versentur aut iisdem quoquo modo addicantur; illosque per peculiare rescriptum Missionarios emigrantium vel Cappellanos navigantium nominare, destinare, transferre, eorum a munere renuntiationem acceptare et, si casus ferat, destituere;

2° Eligere ac constituere, in qualibet natione, Moderatores seu Directores missionariorum emigrantium eiusdem nationis seu sermonis;

3° Eligere ac constituere Moderatores seu Directores cappellanorum navigantium;

4° Eos omnes moderari eisdemque invigilare, sive per locorum Ordinarios, sive per Delegatum ad opera de emigratione, sive per alios viros ecclesiasticos huic muneri deputandos.

§ 2. 1° Concessio rescripti, de quo in § 1 n. 1°, cum utroque Ordinario, *a quo* et *ad quem*, erit communicanda;

2° Moderatores seu Directores designatos Sacra Congregatio Consistorialis Episcopis nationis seu dicionis ad quam mittuntur cito significabit.

6. - § 1. Nostra autem auctoritate adprobantes peculiares coetus seu commissiones episcopales, pro spirituali emigrantium adsistentia pluribus in Europae et Americae dicionibus constitutos, initumque hoc provide consilium et in aliis regionibus haberi cupientes, statuimus ut sacerdotes qui, a Praesulibus designati, in huiusmodi coetibus a secretis munere perfunguntur, nomine Directoris operum de emigratione pro sua quisque natione, a Sacra Consistoriali Congregatione augeri queant.

§ 2. Ubi vero huiusmodi coetus nondum sint constituti, a Sacra Congregatione Consistoriali Director eligi poterit inter dicionis presbyteros ab Episcopis praesentatos.

7. - § 1. Quo vero opera pro emigrantibus navanda facilior evadat, praesentibus Litteris erigimus et instituimus apud praedictam Nostram Sacram Consistorialem Congregationem Summum Consilium de emigratione.

§ 2. Huiusmodi Consilio praesidebit Adsessor ipsius S. Congregationis et secretarius aderit Delegatus ad opera de emigratione.

§ 3. In idem Consilium adscisci poterunt:

1° Sacerdotes illi qui, in sua natione seu dicione vel munere funguntur secretarii memoratae episcopalis commissionis pro spirituali advenarum adsistentia, vel de Praesulum mandato in huiusmodi adsistentiam incumbunt;

2° Sacerdotes illi Romae degentes, sive saeculares sive regulares, qui rerum istarum peritia animarumque studio praestare videantur.

8. - § 1. Apud eandem Sacram Consistorialem Congregationem institutum volumus alterum coetum, seu Secretariatum Generalem Internationalem, ad moderandum Opus Apostolatus maris, cuius est potissimum sive spirituale sive morale commodum fovere maritimorum, eorum nempe qui gubernandi aut inserviendi gratia naves conscendant, vel portibus addicantur maritima itinera adparaturi.

§ 2. Huius Secretariatus moderamen, uti praeses, geret Adsessor Sacrae Consistorialis Congregationis, Delegatus vero ad opera de emigratione secretarii munere fungetur.

§ 3. In Secretariatum autem cooptari poterunt:

1° Viri illi ecclesiastici qui in unaquaque dicione seu natione Directores huismodi operi ab Episcopis praeficiuntur;

2° Ceteri sacerdotes qui, de eodem opere provehendo bene meriti, digno laudis testimonio sint cohonestandi.

CAPUT II

De Delegato ad opera de emigratione

9. - Apud Sacram Consistorialem Congregationem instituimus Officium Delegati ad opera de emigratione.

10. - § 1. Proprium Delegati est curare et fovere, iis omnibus auxiliis quae aptiora videantur, bonum, praesertim spirituale, fidelium emigrantium cuiusvis sermonis, stirpis, nationis, ac, servatis servandis, ritus; initis ad hoc, si casus ferat, rationibus sive cum Nostra Secretaria Status, sive cum civilibus magistratibus et institutionibus.

§ 2. Hunc in finem Delegatus, nomine et de mandato Sacrae

Congregationis Consistorialis opera et consilio favebit et adsistet omnibus consociationibus, institutionibus et operibus catholicis, sive internationalibus sive nationalibus, necnon — salvo iure Ordinariorum — dioecesanis et paroecialibus, quae idem prosequi intendant.

11. - § 1. Delegatus praeest missionariis emigrantium et cappellanis navigantium sive saecularibus sive regularibus eorumque Directoribus.

§ 2. Eosdem, de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis, moderabitur, illis invigilabit et de iisdem referre non omittet.

12. - Delegati erit, praeterea, quaerere et praesentare Sacrae Congregationi Consistoriali sacerdotes, qui sese dedere cupiant spirituali curae emigrantium vel emigratorum, necnon eorum, qui iter maritimum arripiant vel quavis de causa in navibus versentur aut iis addicantur.

13. - § 1. Sacerdotes, ad hoc munus adprobatos et per rescriptum Sacrae Congregationis Consistorialis nominatos missionarios emigrantium vel cappellanos navigantium, Delegatus ad missionem vel ad navem mittet.

§ 2. Hos autem Delegatus auxilio, quo indigent, sive directe et immediate per semetipsum, sive indirecte et per interpositos ecclesiasticos viros, potissimumque per Directores, sedulo iuvabit.

14. - Delegatus certiores faciet Ordinarios locorum et Directores de emigrantibus mox adventuris.

15. - Delegatus provehere et moderari studebit ea omnia quae diei annuatim pro emigrantibus celebrandae incrementum conferre videantur.

16. - In fine cuiuslibet anni, de statu materiali et spirituali missionum et de observantia ecclesiasticae disciplinae ex parte missionariorum emigrantium et cappellanorum navigantium, Delegatus relationem conficiet et Sacrae Congregationi Consistoriali exhibebit.

17. - § 1. Abolemus igitur et supprimimus ac hisce Apostolicis Litteris abolitum et suppressum declaramus Officium Praelati pro Italis emigrantibus [3].

§ 2. Pariter a suo munere omnino cessasse declaramus Visitatores vel Delegatos cuiuslibet sermonis seu nationis, in bonum spirituale fidelium in Europae vel Americae regiones demigratorum vel profugorum, antea constitutos.

---

[3] S. C. Consistorialis, Notificazione circa la costituzione di un Prelato per l'emigrazione italiana, *Esistono in Italia*, 23 ott. 1920. *A. A. S.* XXI, pp. 534-535.

CAPUT III

De Directoribus, de missionariis emigrantium et de cappellanis navigantium

18. - § 1. Missionarii emigrantium et cappellani navigantium eorumque Directores suo munere funguntur sub moderamine Sacrae Congregationis Consistorialis eiusque Delegati ad opera de emigratione.

§ 2. Munus missionarii emigrantium et cappellani navigantium officiumque Directoris excardinationem non parit nullamque dat exemptionem sive a proprio Ordinario aut Superiore regulari sive ab Ordinario loci in quo missionarium et cappellanum versari contingat.

19. - Directores missionariorum emigrantium et cappellanorum navigantium nullam iurisdictionem sive territorialem sive personalem, vi muneris, exceptis tamen iis quae infra recensentur, exercere valebunt.

20. - Ius et officium Directoris est potissimum:

1° Rationes inire cum Episcopis nationis seu dicionis in qua missionarii stabiliter commorantur de iis omnibus, quae bonum spirituale immigratorum suae nationis seu sermonis respiciant.

2° Missionarios aut cappellanos, salvo Ordinariorum iure, moderari.

21. - § 1. Debet igitur Director inquirere:

1° Num misionarii aut cappellani vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant;

2° Num iidem decreta a Sacra Congregatione Consistoriali et ab Ordinario loci lata rite exsequantur;

3° Num decor et nitor ecclesiarum vel cappellarum vel oratoriorum et sacrae supellectilis, maxime in custodia Sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate serventur;

4° Num sacrae functiones secundum praescripta legum liturgicarum et decretorum Sacrae Rituum Congregationis celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur adnexaque illis onera, in primis Missarum, rite impleantur; recte conscribantur et asserventur libri paroeciales, de quibus sub n. 25 § 3 et n. 35 § 2.

§ 2. De iis omnibus ut certior reddatur, Director debet missiones aut naves frequenter visitare.

§ 3. Pertinet etiam ad Directorem, statim ac resciverit aliquem missionarium vel cappellanum graviter aegrotare, operam conferre ne spiritualibus ac materialibus auxiliis, honestoque funere si quis decesserit, careat; et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex aliaque ad missionem pertinentia depereant aut asportentur.

22. - Director ob iustas causas a Sacra Congregatione Consistoriali adprobandas, universos missionarios aut cappellanos, sicubi liceat, convocare poterit, praesertim ut una simul exercitiis spiritualibus iidem vacare queant vel collationibus interesse de aptioribus ministerii sui rationibus ineundis.

23. - Semel saltem in anno rationem missionariorum aut cappellanorum necnon status missionum Sacrae Congregationi Consistoriali Director fideliter reddat; exponatque non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae remedia ad ea reparanda sint adhibita et quidquid agendum videatur ad incrementum missionum fovendum.

24. - Missionarii emigrantium in curam spiritualem fidelium sui sermonis seu nationis incumbunt sub iurisdictione Ordinarii loci iuxta normas quae infra in capite IV proponuntur.

25. - § 1. Proprium est cappellanorum navigantium, itinere maritimo perdurante, curam animarum gerere, excepta re matrimoniali, eorum, qui quavis de causa in navi versentur.

§ 2. Cappellani, firmo praescripto can. 883 C. I. C., peculiaribus normis ac facultatibus a Sacra Congregatione Consistoriali instruentur.

§ 3. Conficere tenentur insuper libros baptizatorum, confirmatorum, et mortuorum, quorum exemplar, una cum relatione de rebus gestis, in fine cuiuslibet maritimi itineris suo Directori exhibebunt.

26. - Si in navi oratorium legitime exstet, cappellani navigantium, congrua congruis referendo, rectoribus ecclesiarum aequiparantur.

27. - § 1. Cappellani possunt officia divina etiam solemnia in navis oratorio celebrare sartis tectisque legibus canonicis et liturgicis et cauto ut eadem horis navigantibus commodioribus absolvantur.

§ 2. Iidem:

1° Dies festos navigantibus denuntient;

2° Catecheticam institutionem, praesertim adolescentibus, et Evangelii explanationem tradant.

28. - Cappellani navigantium advigilent:

1° Ut in oratorio divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate celebrentur et sacerdotibus Missam celebrantibus, quovis amoto periculo effusionis sacrarum Specierum e calice, alter sacerdos, si adsit, superpelliceo indutus adsistat;

2° Ut sacrae suppellectilis conservationi et eiusdem oratorii decori prospiciatur;

3° Ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domai Dei tribuendae quoquo modo repugnet, neve oratorium aut altare aut sacra paramenta sectis acatholicis inserviant.

29. - § 1. Sine cappellani licentia, saltem praesumpta, nemini licet in oratorio navium Missam celebrare, sacramenta administrare, conciones habere aliasve functiones sacras peragere.

§ 2. Haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris communis.

30. - Ius erigendi et benedicendi oratorium in navi spectat ad Ordinarium loci cuius territorio adhaeret portus in quo navis habitualiter consistit.

31. - Missionariis et cappellanis permittitur, de consensu Directoris, et insuper Superioris si agatur de religiosis, per unum mensem intra annum a missione aut a navi abesse, dummodo emigrantium aut navigantium necessitatibus sit provisum per sacerdotem Sacrae Congregationis Consistorialis idoneo rescripto instructum; idem permittitur Directoribus de licentia Sacrae Congregationis Consistorialis, necnon de consensu Superioris si agatur de religiosis, dummodo sui loco reponere valeant substitutum ab eadem Sacra Congregatione adprobandum.

CAPUT IV

De cura animarum ab Ordinariis locorum in alienigenas exercenda

32. - Quod autem peculiariter spectat ad curam animarum pro alienigenis quibuslibet, sive advenis sive peregrinis, ab Ordinariis locorum gerendam, quotiescumque, ob unam alteramve causam, minime expedire videbitur ad Sacram Congregationem Consistoria-

lem recursus ad obtinendum indultum erectionis paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis, statuimus ut in posterum locorum Ordinarii haec quae sequuntur praecepta servanda sedulo curent.

33. - Quilibet loci Ordinarius spiritualem alienigenarum seu immigratorum curam committere enixe contendat sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, eiusdem sermonis seu nationis, nempe missionariis commigrantium, peculiari Sacrae Congregationis Consistorialis mandato, ut supra, praeditis.

34. - Quilibet pariter loci Ordinarius enitatur concedere iisdem missionariis emigrantium potestatem exercendi curam animarum in fideles advenas seu peregrinos eiusdem sermonis seu nationis, audita Sacra Congregatione Consistoriali ceterisque servatis de iure servandis.

35. - § 1. Missionarius emigrantium huiusmodi potestate praeditus, in gerenda cura animarum aequiparatur parocho; et ideo iisdem facultatibus in bonum animarum potitur ac oneribus adstringitur, congrua tamen congruis referendo, quibus parochi fruuntur ac tenentur ad normam iuris communis.

§ 2. Idem proinde, prae ceteris, paroeciales habeat libros de quibus in can. 470 C. I. C., quorum authenticum exemplar in fine cuiuslibet anni ad parochum loci et ad suum Directorem transmittet.

36. - § 1. Huiusmodi paroecialis potestas est personalis, in alienigenarum seu immigratorum personas dumtaxat exercenda.

§ 2. Eadem aequo iure cum potestate parochi loci est cumulata, etiamsi exerceatur in ecclesia seu cappella vel oratorio publico aut semipublico, missionario emigrantium concreditis.

37. - § 1. Ad exercitium sacri ministerii unicuique missionario emigrantium aliqua ecclesia seu cappella vel oratorium publicum aut semipublicum, quatenus fieri poterit, adsignetur.

§ 2. Secus loci Ordinarius normas constituat quibus eidem missionario emigrantium fas sit, libere et plene, suo muneri satisfacere in alia ecclesia, paroeciali non excepta.

38. - Missionarii emigrantium, durante munere, plene subiacent iurisdictioni Ordinarii loci, tum quoad exercitium sacri ministerii, tum quoad disciplinam, secluso quovis exemptionis privilegio.

39. - Unusquisque alienigena, sive advena sive peregrinus, plena potitur facultate adeundi, sacramentorum causa, matrimo-

nio non excepto, missionarium emigrantium sui sermonis aut parochum loci.

40. - Advenarum seu peregrinorum nomine, ad effectum de quo agitur, veniunt:

1° Omnes alienigenae — non exceptis iis qui ex coloniis migrarunt — per quodcumque temporis spatium, quavis de causa, studiorum quoque, in alieno territorio versantes;

2° Eorum descendentes in primo gradu lineae rectae, etiamsi nationalitatis iura acquisierint.

CAPUT V.

De spirituali adsistentia ab Episcopis Italiae praestanda emigrantibus

41. - Quum haec Apostolica Sedes prae aliis maxime consueverit vigilare pro Italis, quorum frequentior quam ceterorum migratio est [4], praesentibus Apostolicis Litteris confirmamus et compertae Nobis Episcoporum Italorum navitati ex corde commendatas cupimus peculiares illas normas quas Decessores Nostri ediderunt de Italis ad externa peregre emigrantibus; hancque nacti occasionem, praefatos locorum Ordinarios vehementer hortamur ut vota Nostra adimplere satagant.

42. - Prae oculis habeant, tanquam canonem suscipiendi ac perficiendi laboris, verba illa quibus Beatus Pius X comitatus et patronatus, sic commendabat: « ... per Italiam comitatus, quos vocant, et patronatus, emigrantium causa, bene multi extiterunt, aliaque id genus ab Episcopis, aliisque de Clero, atque ab ipsis laicis, viris egregie munificis, christianaeque sapientiae perstudiosis, instituta » [5].

43. - Curent igitur Ordinarii ut, ipsis auctoribus ipsisque rectoribus, cooperantibus autem sodalibus Actionis Catholicae, ceterorumque catholicorum coetuum pro religiosa, morali et sociali artificibus et operariis adsistentia, comitatus de emigratione et subcomitatus instituantur, idque praesertim in dioecesibus unde frequentior habeatur emigrantium exodus.

---

[4] B. Pius X, Motu proprio, De Italis ad externa emigrantibus, *Iam pridem*, 19 Martii 1914, *A. A. S.* VI, pp. 173-176.

[5] L. c. p. 174.

44. - Pariter vigilent, qua decet alacritate, ut sic instituta de emigratione consilia, demandata munera rite adimpleant, quodque expetitur, animarum nempe salutem, consequi contendant.

45. - § 1. Ne omiserint Ordinarii locorum commendare parochis, ut has sui ministerii partes sueta diligentia obeuntes, praecavendos curent fideles contra spiritualia pericula quae usque a primo de domo, de familia, de patria discessu, instare solent.

§ 2. Hunc in finem parochi congruentem catecheticam institutionem fidelibus mox demigraturis sedulo tradant.

46. - Ordinarios pariter ne pigeat exhortari parochos, ut fideles suos demigratos pastorali sollicitudine prosequi usque pergant.

47. - Religiose serventur ea quae a Sacra Consistoriali Congregatione praecipiuntur: « Italiae Ordinarii praesertim opera parochorum sive patronatuum qui de emigrantibus curam habent, satagant ut peregrini seu emigrantes muniantur, antequam discedant, tessera ecclesiastica » [6].

48. - Enitantur pro viribus, iisque adhibitis rationibus quae utiliores videantur, ut prospere feliciterque cedant tum dies pro Italis emigrantibus annuatim celebranda, tum stipis collectio pro spirituali emigrantium adsistentia, Sacrae deinde Consistoriali Congregationi tradendae [7].

49. - § 1. Gratulantes Ordinariis illarum dioecesium extra Italiae fines, sive in Europa sive in regionibus transmarinis exstantium, qui nationalibus vel dioecesanis operibus et consiliis vel comitatibus enituntur ut praesto sint adiumenta spiritualia et moralia universis alienigenis, quos etsi hospites ut sui gregis fideles amplexati sunt, ab iis expetimus, ut in paroeciis ubi cuncti vel plerique sint fideles qui ad Italam gentem pertineant, diem pro Italis emigrantibus iuxta normas pro Italis Ordinariis n. 48 statutas, annuatim celebrent pecuniamque collecticiam ad Sacram Congregationem Consistorialem ad fovenda opera pro Italis demigrantibus remittendam curent [8].

§ 2. Quod, congrua congruis referendo, pariter fieri poterit pro emigrantibus aliarum nationum seu sermonum ita ut uno eodemque tempore, nempe Dominica prima Adventus, dies pro emigrantibus in toto catholico Orbe celebrari queat.

---

[6] S. C. Consistorialis, Communicatio, 26 Ianuarii 1923, *A. A. S.*, pp. 112-113.

[7] S. C. Consistorialis, Litterae circulares ad R.mos Ordinarios Italiae, de spirituali emigrantium cura, 6 Decembris 1914, *A. A. S.*, VI, p. 699 s.

[8] S. C. Consistorialis, Litterae ad R.mo Americae Ordinarios, 22 Februarii 1915.

50. - Velint tandem Italiae Ordinarii parochos opportune urgere ut unam Missam per annum ad mentem Summi Pontificis potius quam pro populo applicent; eosque exhortari ut assidue libenterque hanc commutationem peragant in bonum Italorum emigrantium cessuram.

CAPUT VI

De Pontificio Collegio Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus

51. - Collegium Nostrum Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus institutum [9] recognoscimus et confirmamus.

52. - § 1. Idem Collegium permanere volumus — cauta tamen iurisdictione Cardinalis in Urbe Vicarii — sub dependentia Sacrae Congregationis Consistorialis.

§ 2. Sacrae ipsius Congregationis Consistorialis erit:

1° Collegium moderari eique vigilare sive quoad observantiam disciplinae sive quoad rem familiarem et administrationem bonorum temporalium;

2° Eidem leges dare;

3° Rectorem ceterosque Officiales eligere.

53. - Quum peculiaris Collegii finis, praeparare scilicet iuniores Italos sacerdotes e clero saeculari ad Italos in peregrinas regiones migrantes honeste et religiose excolendos et iuvandos [10] undequaque cohaereat cum fine Piae Societatis Missionariorum a Sancto Carolo pro Italis emigratis, indulgemus ut Rector ceterique moderatores et magistri seligantur inter sacerdotes eiusdem Piae Societatis, cui proinde Collegium ipsum ad beneplacitum Nostrum libenter concredimus, firmis tamen quae sub numero praecedenti statuuntur.

54. - Praecipimus insuper ut in posterum nulli sacerdoti committatur spiritualis cura fidelium Italorum emigrantium quin per congruens temporis spatium in praefato Collegio apte sit institutus

---

[9] B. Pius X, Motu proprio, De Italis ad externa emigrantibus, *Iam pridem*, 19 Martii 1914, *A. A. S.*, VI, p. 173 ss.; S. C. Consistorialis, De Pontificio Collegio Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus, Notificatio, *Sacerdotum Collegium*, 26 Maii 1921, *A. A. S.* XIII, p. 309 ss.;

[10] S. C. Consistorialis, *Collegio de' Sacerdoti per gli emigranti Italiani, Regolamento generale*, 24 Giugno 1914.

et animi mentisque virtutibus, doctrina, sermonum peritia, prospera valetudine aliisque dotibus tanto muneri par agnitus fuerit.

55. - Meminerint Episcopi, praesertim illarum dioecesium unde plures emigrantes discedunt, rem religioni valde profuturam Nobisque pergratam se facturos si iuvenes sacerdotes, virtute studioque animarum praestantes, qui sese totos operibus pro emigrantibus dedere cupiant, ad praefatum Collegium mittere non renuent.

56. - In ceteris, tandem, emigrationis extra Italiam locis seu nationibus, ubi conveniens forte desit emigrantibus catholicis illius nationis spiritualis adsistentia, utiliter procul dubio consulere valebunt Ordinarii si, pro peculiaribus locorum rerumque adiunctis, relatam pro Italis demigrantibus agendi rationem, diserte in Romanorum Pontificum actibus evulgatam Nobisque in praesens probatam, sollicite inibunt.

Datum ex Arce Gandulphi, apud Romam, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, die prima mensis Augusti, in festo S. Petri Apostoli ad Vincula, Pontificatus Nostri anno quartodecimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. 44. pag. 649-704)

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS ORIENTALIUM ECCLESIARUM, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Orientales Ecclesias, quae Ss. Patrum praeclara doctrina fulgent, et quae antiquissima recentioreque aetate ac nostra profuso martyrum purpurantur sanguine, peculiarissimo modo Nobis cordi esse nemo est qui ignoret. Etenim, vixdum fuimus, nullis Nostris meritis, arcano Dei consilio ad Apostolorum Principis Cathedram evecti, mentem animumque Nostrum ad vos convertimus, et ad eos etiam, qui « extra catholicae Ecclesiae saepta versantur », [1] quique vehementer cupimus ut ad communis Patris ovile, quasi ad avitam domum, quam primum redire velint [2]. Alia paternae benevolentiae Nostrae testimonia per Pontificatus Nostri decursum vobis praebuimus. Nostis siquidem alterum Nos e sacris Antistitibus vestris, Armenorum nempe Ciliciae Patriarcham, Romanae purpurae dignitate decorasse; ac Iuris Canonici leges, ad vos quod attinet, in unum corpus redigendas curare; quod quidem gravissimi momenti opus iam est ex parte ad effectum deductum. Sed haud necesse est haec fusius commemorare vobis, quibus procul dubio res est apprime cognita; ac ceteroquin hac Nostra agendi ratione Decessorum Nostrorum vestigiis institimus, [3] qui inde a christianae aetatis exordio non modo singulari caritate maiores vestros prosecuti sunt, sed etiam, quotiescumque eos viderunt vel haereticorum insidiis perturbatos, vel hostium insectationibus vexatos ac territos, eis pro facultate suppetias venire sollemne habuere. Itaque, Apostolica interposita auctoritate, quae a Divino Redemptore fuit Apostolorum Principi eiusque Successoribus demandata, in Conciliis Nicaeno I et II,

---

[1] Cfr. *Nuntius radiophonicus e sacello Sixtino datus d. III Martii a. MCMXXXIX; A. A. S.*, a. XXXI, ser. II, vol. VI, p. 86.

[2] Cfr. Litt. Enc. *Summi Pontificatus; A. A. S.*, a. XXXI, ser. II, vol. VI, pp. 418-419; et Litt. Enc. *Mystici Corporis; A. A. S.*, an. XXXV, ser. II, vol. X, pp. 242-243.

[3] Cfr. Litt. Enc. *Rerum orientalium; A. A. S.*, an. XX, vol. XX, p. 277 sq.

Constantinopolitano I, II et III, Ephesino ac Chalcedonensi, catholicae doctrinae integritatem iidem tutati sunt; et cum lamentabile discidium Orientales Ecclesias magna ex parte a Romano Pontifice seiunxit, non tantum illud in Concilio Constantinopolitano IV per suos Legatos reprobarunt, sed effecerunt etiam pro viribus ut res feliciter in commune bonum componeretur; quod quidem, post tot laudabiles difficilesque nisus, in Florentino Concilio actum ratumque fuit, etsi contra bonorum omnium vota, postea non fuit ad rem deductum. Cum vero orientales regiones a novis irruentibus populis invaderentur, ac sacra etiam Palaestinae loca, quae divino Iesu Christi sanguine consecrata fuere, pervastarentur, tum etiam Romani Pontifices, christianos ad tantum defensionis religionisque opus excitarunt Principes. Neque hoc Decessorum Nostrorum erga vestrates sollicitudinis benevolentiaeque studium recentiore aetate remisit, vel defuit; quin immo videtur potius in dies impensius exarsisse. Ad vos, ut probe nostis, non pauci missi sunt, qui catholicam illustrarent doctrinam, suaderentque omnibus ut ad optatissimam unitatem fidei ac regiminis redire vellent; heic vero, apud Beati Petri Sedem, Sacrum Consilium constitutum fuit, seu ut aiunt Sacra Congregatio, cuius esset Orientalium Ecclesiarum negotiis, rationibus, ritibus prospicere ac consulere; itemque Orientalium studiorum Institutum, quod, data opera diligenter, rectam vestrarum rerum cognitionem foveret ac proveheret.

Sed in praesens, proh dolor, aliud est, quod curam sollicitudinemque postulat Nostram. Etenim in regiones non paucas, in quibus Orientales Ritus potissimum vigent, nova malorum procella ingruit, quae quidem florentes Christianorum communitates subvertere, vastare ac misere restinguere conatur. Si superiorum saeculorum decursu aliquod catholicae doctrinae caput oppugnabatur, hodie, ut videtis, ultra temere progreditur; ac sacra omnia iura, instituta, leges, immo etiam quidquid divinum est et ad divina refertur, haec omnia, veluti fabulosum aliquid et infaustum e publica civium consortione, e domestico convictu, ex athenaeis, e scholis, e populi denique vita ut reiciantur contenditur.

Quemadmodum igitur gravior est calamitatum congeries, quae lectissimam christianae gentis partem offendit, ita impensior est, Venerabiles Fratres, benevolentia erga vos Nostra, incensius est caritatis studium, quo vos omnes paterno animo amplectimur.

Imprimisque cupimus vobis luculentissime patefacere Nos dolores luctusque vestros utpote Nostros habere; ac nihil magis excu-

pere quam ut aegritudines vestras aliquo modo lenire ac mulcere possimus, Nostra praesertim interposita christianorumque omnium deprecatione pro iis omnibus ad Deum admota, qui ob catholicam religionem eiusque sacra iura, ut oportet, defensa, misere vexantur.

Novimus plurimos esse in orientalibus plagis christifideles, qui lugent hodie profusis lacrimis, cum suos cernant sacrorum Antistites vel enecatos, vel dispersos, vel ita praepeditos, ut libere nequeant suos greges alloqui, eosque, ut oportet, auctoritate sua moderari; cum non pauca e suis templis videant ad alios usus destinata, vel squalore silere; cum noscant iam ex iisdem non posse supplicantium voces, pulcherrimae liturgiae vestrae normis rationibusque concinnatas, ad Caelum extolli, ut inde supernarum gratiarum imbres demittantur ad mentes erigendas, ad solandos animos, et ad tantorum malorum cumulo medendum.

Novimus multos e vestratibus vel in carceribus, vel in publicae custodiae campis esse detentos, vel, si domi degant, sacrosanctis illis iuribus perfrui non posse, quae ad eos pertinent, ut religionem nempe non modo in suo cuiusque conscientiae sacrario profiteantur, sed in domestico etiam convictu ad sobolem rite educandam, sed in scholis quoque ad discipulos recte conformandos, aperte doceant, tueantur, praedicent.

At novimus etiam Orientalium Ecclesiarum filios, quasi fraterno foedere cum Latini Ritus christifidelibus consociatos, et harum insectationum fortiter una simul perpeti luctus, et pari modo una simul participare martyrium, participare triumphos, participare gloriam. Strenuo siquidem animo suam fidem retinent; christiani nominis hostibus eadem invicta firmitate obsistunt, qua olim obstitere maiores vestri; preces supplicationesque si non publice, privatim saltem ad Caelum erigunt; in arctissima cum Romano Pontifice et cum peculiaribus cuiusque suis Pastoribus coniunctione fideliter persistunt; itemque Beatam Virginem Mariam caelestium ac terrestrium omnium Reginam amantissimam ac potentissimam, cuius Immaculato Cordi eos singulos universos consecravimus, colere, deprecari atque amare impensissime. Atqui haec omnia auspicium profecto sunt futurae tutissimaeque victoriae; illius dicimus victoriae, quae non ex hominum invicem dimicatium cruore oritur, non effreno terreni dominatus studio alitur, sed aequa legitimaque animorum libertate solidatur; sed iustitia civibus, populis, gentibus non nomine tenus, at re quoque attributa; sed pace fraternaque caritate, quae omnes amicitiae vinculis coniungat; sed religione

potissimum, quae mores recto ordine componat. quae privatas cupiditates temperet easque iubeat communi bono inservire, quae mentes ad caelestia erigat, quae denique sit civilis consortionis omniumque concordiae altrix.

Haec quidem in votis habemus; sed interea nuntii, qui ad Nos afferuntur, eiusmodi sunt ut dolorem maeroremque Nostrum exacuant atque exacerbent. Interdiu noctuque ad eos mentem animumque Nostrum paterna sollicitudine convertimus, quos ex divino mandato pascere iubemur, [4] quosque non ignoramus alicubi tam indigne haberi, ut ob catholicam fidem, quam mordicus retinent, calumniis afficiantur, ac legitimis priventur iuribus, iis etiam interdum, quae cum humanae naturae insita sint, si vi, si metu, si alia arte eripiantur, eiusdem humanae naturae dignitas depressa ac laesa evadat.

In quibus tristissimis perlatis nuntiis, ille recens non modo Nos, non modo christianos omnes, sed quotquot etiam sunt debitae civibus libertatis dignitatisque cultores, summo perculsit dolore: in Bulgaria nempe, ubi parva sed florens vigebat catholicorum communitas, aspera procella tristes parit Ecclesiae luctus. Usitatis videlicet incusationibus adhibitis, Dei administri, veluti publici criminis rei, insimulati sunt; in quibus Venerabilis Frater Eugenius Bossilkoff, Episcopus Nicopolitanus, capitalis poenae damnatus est, unaque cum eo sacerdotes tres, apostolici eius laboris socii. Alii praeterea non pauci vel in carcerem iam detrusi sunt, vel publica praepediti custodia, quibus catholicorum virorum agmen adiungitur, qui quidem variis mulctantur poenis, atque adeo eadem palma, eodemque honore decorantur. Rem Nos, pro officii Nostri conscientia, cui deesse non possumus, conquerimur, dum illatam Ecclesiae iniuriam universo christiano nomini denuntiamus. Ii enim idcirco quod catholicam religionem non modo profitentur, sed aperte quoque strenueque tutari enisi sunt, utpote rei publicae infensi habiti sunt, cum contra nemini cedant in patria caritate, nemini in publica potestate observanda, nemini denique in editis legibus obtemperando, dummodo eaedem aliquid non imperent, quod naturalibus, divinis, ecclesiasticisve iuribus repugnet.

Quod autem in Bulgaria recentioribus praesertim temporibus evenit, id iam diu in aliis gentibus, in quibus orientalis ritus Ecclesia vigescit, misere contingit; in Romenorum nempe, in Ukrainorum, et in aliis quoque gentibus. Ad primam gentem quod attinet,

---

[4] Cfr. Ioan., XXI, 15-17.

datis iam superiore mense Martio Apostolicis Litteris, [5] tot luctus, quibus ritus vestri christifideles una cum Latinis afflictantur, vehementer conquesti sumus, ac paterno eos omnes sumus animo adhortati, ut invicta ea, qua praestant, firmitate in avita religione perstent.

In praesens autem ad alium populum Nobis sane carissimum, mentem animumque maerentes convertimus Nostrum; ad Ukrainum nempe populum, apud quem haud pauci sunt christifideles, qui Romam summo desiderio impensoque amore respiciunt, atque hanc Apostolicam Sedem veluti christianae religionis caput reverentur christianaeque veritatis magistram ex Iesu Christi mandato falli nesciam. [6] Ii tamen, quod vehementi dolore accepimus, haud minoribus insectationibus vexantur, haud minus acerba rerum condicione iam diu utuntur, quam ceterae gentes, quarum vobis mentionem, Venerabiles Fratres, per has litteras fecimus.

Peculiari autem modo eos orientalis ritus Episcopos commemorare volumus, qui inter primos, defendendae religionis causa, aerumnas, luctus, iniurias tolerarunt; quique in Kioviensem urbem translati, ibi, instituta causa, variis poenis damnati fuere; in Kioviensem urbem dicimus, unde olim per illas omnes regiones christianae doctrinae lumen eluxit, christianique nominis cultus propagatus fuit. Horum nonnulli gloriosam iam mortem oppetiere; atque adeo, ut sperare licet, e supernae, qua fruuntur, beatitatis sede suos filios suosque pacifici certaminis sodales amantissime respiciunt, eisque a Deo validissimam impetrant tutelam.

Praeterea, eos latini orientalisque ritus christifideles silentio praeterire non possumus, qui e suis regionibus e domesticisque laribus pulsi et in longinquas ignotasque terras deportati, suos ibi legitimos non habent sacrorum administros, qui eos solentur, adiuvent, moderentur, quique eis superna religionis adiumenta praebeant.

Haec omnia tam acerrimo Nos maerore afficiunt, ut lacrimas cohibere non possimus; dum clementissimum Deum ac misericordiarum Patrem adprecamur, ut benigne velit eorum mentes divina sua luce collustrare, e quibus tam misera condicio pendet; ac velit etiam quam primum tot malorum cumulo finem imponere.

Attamen, Venerabiles Fratres, in tot tantisque luctibus, ob quos

---

[5] Cfr. *A. A. S.*, an. XXXXIV, ser. II, vol. XIX, p. 249 sq.

[6] Cfr. MATTH. XVI, 18-19; IOAN., XI, 15-17; LUC., XXII, 32.

Noster ac vester animus doloribus perfunditur, est cur aliquid solacii ex acceptis nuntiis hauriamus. Etenim perspectum Nobis est eos, qui in lamentabile hoc discrimen adducti sunt, in sua perstare virtute, ea quidem intrepida constantia, quae Nobis, quae bonis omnibus admirationem permoveat. Habeant igitur iidem omnes a Nobis paternae laudis praeconium, quod eorum firmitatem augeat ac magis magisque corroboret; atque etiam certissimum habeant Nos, utpote communem Patrem, quem « sollicitudo omnium Ecclesiarum » [7] tenet ac « caritas... Christi urget », [8] ad Deum incensa cotidie fundere vota, ut quam primum Iesu Christi Regnum, quod pacem animis, pacem populis, pacem gentibus afferat, apud omnes triumphet.

Ante aerumnosum eiusmodi malorum spectaculum — quibus non tantum Nostri e laicorum ordine filii sed ii potissimum, qui ad sacerdotalem fuere dignitatem evecti, ea de causa conflictati sunt, ut illud eveniat, quod in Sacris Litteris legitur: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis » [9] — facere non possumus quin in omnium mentem revocemus, per saeculorum decursum, non modo apud excultas, sed apud barbaras etiam gentes, religionis administros utpote inter Caelum hominesque conciliatores debita observantia venerationeque habitos esse. Cum vero Divinus Redemptor, fugatis errorum tenebris, caelestem nos edocuit veritatem, suumque benignissime voluit nos aeternum participare sacerdotium, tum hoc observantiae venerationisque studium summopere increbuit; atque adeo Episcopi et sacerdotes ut patres amantissimi habiti sunt, qui nihil aliud quaererent, nisi commune demandati populi bonum.

Verumtamen Divinus ipse Redemptor dixerat: « Non est discipulus supra magistrum »; [10] « si me persecuti sunt, et vos persequentur »; « beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ». [11]

Haud miremur igitur, si nostra hac aetate, magis fortasse quam elapsis iam saeculis, Iesu Christi Ecclesia ac praesertim sacrorum administri vexationibus, mendaciis, calumniis, omneque genus miseriis ac iacturis divexantur; sed in eo potius tutissimam spem

---

[7] *II Cor.*, XI, 28.
[8] Ibid , V, 14.
[9] Matth , XXVI, 31 ; cfr. Marc., XIV, 27 ; Zach., XIII, 7.
[10] Matth., X, 24.
[11] Matth., V, 11-12.

nostram reponamus, qui, si haec adventura mala iam praedixerat, hisce tamen verbis nos praemonitos voluit: « In mundo pressuram habetis; sed confidite, ego vici mundum ». [12]

Longe igitur absit, Venerabiles Fratres, ut animo concidatis. Quemadmodum maiores vestri tot difficultates, insidias, pericula, strenua voluntate ad martyrium usque decertando, invicti superarunt, ita vos ex Orientalium Rituum Ecclesiis, una cum Latini Ritus christifidelibus arctissime coniuncti, caelestium gratiarum auxilio innixi, nihil timeatis. Ac pro eis potissimum qui in graviore rerum discrimine versantur, supernam opem, communibus ad Dominum et amantissimam eius Matrem admotis precibus, supplici animo contendite, ut qui tam acriter hodie acerrimeque periclitantur, christiana fortitudine roborentur, utque tandem aliquando ab omnibus intellegatur, quod ceteroquin luce clarius refulget, « arma militiae nostrae non carnalia esse, sed potentia Deo »; [13] atque adeo Catholicam Ecclesiam non terrenarum rerum potentatum, sed aeternam animorum salutem quaerere; non publicae rei moderatoribus insidiari, sed per impertita Evangelii praecepta, quae ad optimos civium conformandos mores pertinent, humanae quoque consortioni tutiora praebere fundamenta. Si igitur eadem divinitus sibi debita polleat libertate, suamque vim publice elicere possit, navitatemque suam palam in populum edere queat, multum profecto conferet ad commune provehendum bonum, ad civium ordines, auspice iustitia concordiaque altrice, mutuo inter se conciliandos, et ad gentes universas ad eam sinceri nominis pacem tranquillitatemque adducendas, quae ut in omnium votis est, ita in omnium esse debet voluntatibus.

Quam ad rem optatissimam impetrandam, cupimus, Venerabiles Fratres, ut publicas supplicationes indicatis, efficiatisque adhortationibus vestris ut greges curis vestris commissi hisce precibus paenitentiae quoque opera coniungant ad propitiandam, tot tantisque iniuriis offensisque laesam, divinam maiestatem. Haec Sacrarum Litterarum verba meminerint omnes: « Orate pro persequentibus et calumniatibus vos »; [14] « Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ». [15] Oportet siquidem Divini Redemptoris exemplum imitari, qui acerbis affectus doloribus e cruce pen-

---

[12] Ioan., XVI, 33.
[13] *II Cor.*, X, 4.
[14] Matth., V, 44.
[15] *I Cor.*, XII, 25-26.

dens clamavit: « Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt ». [16] Sed oportet etiam adimplere ea, quae desunt passionum Christi, in carne nostra, pro corpore eius, quod est Ecclesia; [17] quamobrem pro afflictis filiis ac fratribus non modo preces debemus ad Deum adhibere nostras, sed nostros etiam angores, ac nostras quoque voluntarie susceptas afflictationes atque aerumnas libenter offerre.

Si non possumus, ad innumeras eas hominum multitudines quod attinet, qui in regionibus illis infirmitates, dolores maeroresque patiuntur, vel in vincula coniecti sunt, illam Iesu Christi sententiam ad rem deducere: « Infirmus [eram], et visitastis me; in carcere eram et venistis ad me; [18] possumus tamen aliquo modo id ipsum efficere: hoc est nostris supplicationibus nostrisque paenitentiae actibus impetrare, ut benignissimus Deus ad hos maerentes fratres filiosque Nostros velit solatores suos angelos mittere, itemque uberrima eis velit caelestia sua munera concedere, quae eorum animos recreent, confirment, roborent et ad superna erigant.

Peculiari autem modo exoptamus ut sacrorum omnes administri, qui cotidie possunt Eucharisticum offerre Sacrificium, eorum Episcoporum ac sacerdotum supplices recordentur, qui, longe a propriis templis a propriisque gregibus, facultate carent ad altare, sacrificandi causa, accedendi, divinoque illo se suosque pascendi pabulo, ex quo quidem animi nostri suavitatem hauriunt, quae omne desiderium exsuperat, eamque percipiunt fortitudinem, quae parit victoriam. Hoc ipsum christifideles fraterno foedere consociati faciant, qui eamdem mensam idemque sacrificium participant; ita quidem ut undique terrarum ac ritibus omnibus, quibus Catholica decoratur Ecclesia, unanimes ad Deum ad eiusque almam Genetricem adprecantium voces admoveantur, quibus pro afflictis horum christianorum communitatibus divina impetretur misericordia.

Cum proximo Ianuario mense publicae multis locis supplicationes in octavum diem ea de causa haberi soleant, ut ii quam primum, qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sunt, ad unum redeant ovile, opportunum Nobis videtur illis praesertim diebus impensas ab omnibus ad Deum adhiberi preces, non modo ut quam citissime divini Redemptoris votum ad effectum deducatur: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum sicut et

[16] Luc., XXXIII, 34.
[17] Cfr. *Coloss.*, I, 24.
[18] Matth., XXV, 36.

nos »; [19] sed ut etiam carceres aperiantur ac dissolvantur vincula, quibus tam plurimi hodie, idcirco quod religionis instituta ac iura invicto animo defendere ac tueri enisi sunt, misere afflictantur; ac christiana veritas, iustitia, concordia et pax, quae singulorum universorumque suprema bona sunt, ubique gentium triumphent.

Quarum laetissimarum rerum auspex esto, paternaeque benevolentiae Nostrae pignus, Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ac gregibus vestrae cuiusque curae commissis, iisque peculiari modo, qui iniustis condicionibus vexantur, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XV mensis Decembris, anno MDCCCCLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 5-14).

---

[19] IOAN., XVII, 11.

ADNOTATIONES

PUNCTUM I - Sedem Romanam numquam Ecclesiis Orientalibus defuisse, abunde probant tum historia Conciliorum, tum sollicita actio RR. PP. ad scissionem unionis cum Roma vitandam, et, post scissam, ad eam denuo instaurandam; tum denique cura qua RR. PP. reditum orientalium ad ovile Christi semper curarunt, et, praeter alia opera et testimonia, erectio nostris diebus peracta S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, et erectio Pontificii Instituti Studiorum Orientalium in Urbe. Pius XII, praeterea, vestigiis Suorum Praedecessorum insistendo, multa quoque benevolentiae testimonia Orientalibus per totum suum Pontificatum praebere dignatus est.

Quae in hoc primo puncto, quod est veluti introductoria pars documenti pontificii, a Pio XII de Sedis Romanae amore et benevolentia erga Ecclesias Orientales asseruntur, amplissimae dissertationi locum facile darent. Tota enim historia Ecclesiae, ex qua S. Pontifex pauca omnino facta tantum commemorat, clare demonstrat SS. Pontifices romanos, quibus sollicitudinem « totius » Ecclesiae ipse Christus commisit, semper praesentes inter Orientales fuisse, praesertim quando in periculo erat vel fidei catholicae integritas vel ipsa unitas regiminis ac disciplinae.

Pro aetate antiqua afferuntur magna illa Concilia quae in

Oriente habita sunt (Concilia Nicaena I et II, Constantinopolitana I, II et III, Ephesinum et Chalcedonense), in quibus veritas catholica contra eos qui eius integritatem attentabant Sedem Romanam tutricem habuit. Nec minore cum sollicitudine conati sunt RR. PP. illud nefastum schisma vitare, et, iam consummatum, sanare.

Nostra vero aetate, Sedis Ap. erga orientales sollicitae benevolentiae studium non remisit, neque defuit; quin immo, ut affirmat Pius XII, videtur potius in dies impensius exarsisse. Ut hoc assertum comprobetur, pauca omnino in his Litteris proferuntur, quae tamen nec sola nec minoris momenti sunt aestimanda. Imprimis illa sollicitudo qua RR. PP. curarunt ut viri mitterentur ad Orientem, qui catholicam doctrinam illustrarent, suaderentque omnibus ut ad optatissimam unitatem fidei ac regiminis redire vellent. Eventus demonstrarunt hanc apostolicam sollicitudinem missionariorumque actionem non inanes ac vacuas fuisse, sed, superna irrigante gratia, uberes fructus attulisse, et quidem, non apud unam alteramve gentem, sed apud omnes gentes orientales. Quos fructus, potius quam ab splendore externo singularum Ecclesiarum, a nobilissimis fortitudinis ac fidelitatis erga Sedem Apostolicam exemplis, quae tot episcopi, sacerdotes ac laici, saeviente persecutione, mundo praebuerunt ac praebent, aestimare debemus.

Alia duo commemorat Pius XII, quae valde commendant assertam Sedis Romanae erga Orientales sollicitudinem, scilicet, erectionem Congregationis pro Ecclesia Orientali et Pontificii Instituti Orientalium Studiorum in Urbe. Congregationis p. E. O. constitutionem esse revera signum magnae et sollicitae benevolentiae R. S. erga Orientales Ecclesias, nemo est qui non videat, si considerat tum dignitatem earum Ecclesiarum, tum specialem condicionem quae eis, ob particulares ritus et ob peculiarem organizationem advenit. Orientales, praeterea, propriis ritibus valde adhaerent, et de eorum conservatione valde sunt solliciti. Aliunde RR. PP., dum orientales ad reditum ad Ecclesiam Catholicam exhortabantur, semper de integra et fideli orientalium rituum conservatione eos securos reddebant. Ut autem haec efficaciter obtinerentur, instituta est Sacra Congregatio p. E. O., cuius est Orientalium Ecclesiarum negotiis, rationibus, ritibus prospicere ac consulere (cf. etiam CIC can. 257). Fructus quoque huius apostolicae curae fuit Pontificium Institutum Orientale a Benedicto XV anno 1917 in Urbe erectum, quod, data opera diligenter, rectam orientalium rerum cognitionem foveret ac proveheret. Merita quae Institutum O. in hoc brevissimo vitae curriculo pro Oriente sibi vindicat, sive in rebus orientalibus investigandis, in ordine ad veritatem catholicam magis magisque declarandam, sive in sacerdotibus rite instruendis, qui revera apostoli inter proprios fiant, non sunt profecto nullius

momenti; sperandum tamen fore, ut in posterum uberiores adhuc fructus Ecclesiae Sanctae colligere valeat.

Quae hucusque memorata sunt, pertinent ad Praedecessores Summi Pontificis g. r., Cui etiam multa testimonia benevolentiae Orientales debent. Nonnulla tantum ex iis testimoniis ipse S. Pontifex recenset, quibus plura alia addere possemus. Inter illa locum praestantiorem procul dubio tenet, opus illud revera magnum, quod auctoritate et sollicitudine Pii XI inceptum, a Pio XII prosecutum et iam ex parte ad effectum deductum est. Dico, totius Iuris Canonici Orientalis in unum collectionem, quae, a Pio XII « gravissimi momenti opus » dicta, maximae erit utilitati omnibus ritus orientalis Ecclesiis.

Nec iis solis continetur illa apostolica sollicitudo quae pro orientalibus Romanam Sedem urget; nec ad sola verba aut ad sola facta ordinis, ut ita dicam, spiritualis, limitatur; cum historia omnium, sed nostrorum praesertim temporum, abunde demonstret, istum amorem istamque sollicitudinem etiam ad necessitates corporales et temporales, quantum in Ea fuit, pervenisse, ut expressis verbis asserebat Pius XII in Litteris « Carissimis Russiae populis » (AAS (1952) 507-508; cum fructu legi potest: M. D'Herbigny S. J., L'Aide pontificale aux enfants affamés de Russie, apud Orientalia Christiana, vol. IV, 1, (1925) pags. 1-79; aliqua exempla afferuntur in Civiltà Cattolica (1953), vol. 1, pag. 151, not. 4 pro bulgaris).

His breviter commemoratis, Pius XII opportunitatem et veluti necessitatem praesentium Litter. Apost. declarat, quatenus, si Sedes Rom. numquam in periculis defuit Ecclesiis Orientalibus, multo minus eis deesse potest hodie, cum in discrimine omnium gravissimo versentur.

Quantum id vero respondeat, consideranti rationem qua in agendo persecutores hodierni utuntur, et scopum quem iidem sibi praestituerunt patebit. Nam, non solum catholicos ab Ecclesia Romana separare, aut unum vel aliud dogma impugnare, intendunt; sed id primo et principaliter ab iis intenditur, nempe omnem religionem, omnemque ideam religiosam, quidquid sacrum et divinum est delere, et atheismum materialisticum vi imponere. Hostes Ecclesiae potentissimi sunt, atque omnibus mediis, etsi iniquiis, naturalibus ad proprium finem assequendum abundant. Quod si praeterea consideratur Ecclesias orientales numero parvas omnino esse, mediis quibuscumque ad se defendendas prorsus privatas, ac praesertim, eas, quae hic et nunc sub saeviente persecutione afflictantur, hierarchia carere, gravitas periculi clarior apparebit, ac proinde etiam opportunitas actus his Litteris a S. Pontifice peracti, cuius verba huc afferre placet: « Quemadmodum igitur gravior est calamitatum congeries, quae lectissimam christianae gentis partem offendit,

ita impensior est, Venerabiles Fratres, benevolentia erga vos Nostra, incensius est caritatis studium, quo vos omnes paterno animo amplectimur ».

Punctum II - Sum. Pontifex magnam partem suae Epistulae ad adumbrandam condicionem praesentem in qua versantur Ecclesiae Orientales dedicat. Post summariam quamdam descriptionem generalem calamitatum quae has Ecclesias affligunt, et post laudatam fidelitatem ac fortitudinem sive Pastorum sive fidelium, aliquot eventus particulares commemorat, nempe, recentem damnationem Eugenii Bossilkof, epis. Nicopolitani, qui in Bulgaria, die 3 octobris 1952 poena capitis damnatus est, et damnationem episcoporum ruthenorum in urbe Kiev anno 1945 patratam.

Ecclesiae orientales in tristi ac periculosa condicione versantur, quia Episcopi vel enecati vel dispersi vel ita praepediti sunt, ut libere nequeant suos greges alloqui, eosque, ut oportet, auctoritate sua moderari; sacerdotibus quamplurimis similis obtigit sors; templa non pauca ad alios usus destinata, dissidentibus frequenter attributa vel tandem clausa; scholae vi clauduntur; laici non pauci in carceribus vel in publicae custodiae campis detinentur, vel in longinquas regiones sunt deportati; iis, vero, qui domi degunt, omnia sacra iura denegantur.

Summus Pontifex breviter hic condicionem Ecclesiarum orientalium depingit, quam fusius in aliis documentis exposuerat. Iam in Litteris Ency. ad Episcopos Ruthenos die 23 decembris anni 1945 datis ob 350 anniversarium ab instaurata unione cum Sede Romana, gravissimis verbis declarabat: « cernimus novam acerrimamque huic Ecclesiae impendere procellam... Magno enim cum maerore accepimus illis in regionibus, quae nuper Russiarum dicioni attributae sunt, carissimos Nobis e Ruthenorum gente fratres ac filios propter suam erga Sedem Apostolicam fidelitatem gravibus affici angustiis; neque deesse qui omni ope allaborent, ut eos ab Ecclesiae Matris gremio abstrahant, et ad dissidentium ineundam societatem invitos ac contra sanctissimi officii conscientiam adducant » (AAS, (1946) 58-59). Anxietates S. P. fundamento non carebant. Etenim, a die 11 aprilis eiusdem anni 1945 omnes episcopi rutheni in territorio Galiziae a russis occupato degentes sub custodia iam servabantur. Quaenam fuerit interea eorum sors, ignoratur. Sed anno 1947 Radio Moscoviensis annuntiavit Metropolitam Slipyj ceterosque episcopos deportatos fuisse et variis poenis mulctatos; eorum nonnulli iam eodem anno 1947 a vita cesserunt. Episcopus dioecesis Premisliae pro ruthenis in Polonia, qui anno praecedenti in sua diocesi permanere potuerat, anno sequenti, 1946, mense iuni, sicut ceteri episcopi rutheni in Russiam ductus est. Sacerdotes quamplurimi, praesertim in urbe Leopoli, in carcerem fuerunt con-

iecti; seminaristae, seminariis clausis, ad servitium militare mittuntur; scholae catholicae a publica auctoritate direptae, etc. (Cf. imprimis *G. Moioli*, Dietro il sipario di ferro, apud Ecclesia (1949) pp. 534-539; *G. de Vries*, La Persecuzione contro i Cattolici ruteni, apud Il Cristianesimo nell'Unione Sovietica, pp. 273-292).

Etiam Ecclesia Romena, de qua egerat Pius XII in Epistula ad Episcopos, clerum populumque Romaniae, diei 27 martii, anni 1952 (AAS (1952) 249 ss.), quaeve fideles sive ritus orientalis sive ritus latini complectitur, mala quamplurima tolerari coacta est. Hostes Ecclesiae in Ea destruenda, eamdem fere viam sequuti sunt quam apud ruthenos. Iam ab anno 1948 haec Ecclesia episcopis caret, « saltem, ut dicit Pius XII, qui libere queant suas gubernare Dioeceses, suos sacerdotes moderari, suisque e laicorum ordine filiis opportuna tradere praecepta ac normas. Omnes enim fuere e suis deturbati sedibus, ac vel carcerem detrusi, vel longe a suis relegati gregibus » (AAS (1952) 250). Intensa actio etiam coercitiva apud sacerdotes ab auctoritate civili exercita fuit, ad eos cum ecclesia dissidenti uniendos (cf. AAS (1952) 250; Civiltà Cattolica (1949) vol. 2, pp. 42-43). Et, praeter multas alias vexationes, die 2 decembris, anni 1948 decretum latum est a civili gubernio, quo Ecclesia orientalis catholica romena deleta et unita cum dissidenti declarabatur (*AAS* (1952), 250; Civiltà Cattolica, l. c. pag. 46). Non mitiore ratione se gesserunt hostes cum Ecclesia latina, cuius omnes episcopi sortem illorum orientalium sequuti sunt.

Non dissimili ratione cum Ecclesia apud Bulgaros actum est, ubi « parva sed florens vigebat catholicorum communitas ». Ex 7.020.000 habit., qui in Bulgaria numerantur, soli 57.000 catholici erant, quorum circiter 6.000, ut teneri solet, ad ritum orientalem pertinebant. Multa tamen et ab omnibus bene aestimata opera, ut scholae, nosocomia, etc., ab Ecclesia ibi habebantur. Communitati catholicae ritus orientalis praeerat Exarcha A., Exc.mus. D. Cyr. Kurteff, de cuius tamen sorte ab aliquo tempore nihil scitur. Ecclesia vero latina regebatur, ab Exc.mo D. Ioan. Romanoff, episc. tit. Prisrianensi, Vicario Apostolico, qui in vinculis servatur, et ab Exc.mo. D. Eugenio Bossilkof, passionista, et episc. nicopolitano, qui die 16 iulii anni 1952 sub custodia positus fuerat, et die 3 octobris eiusdem anni, una cum tribus sacerdotibus augustinianis ab Assumptione, poena capitis multatus fuit. In eodem processu plures alii sacerdotes, religiosae et laici diversis poenis quoque puniti sunt (cf. Civiltà Cattolica (1953) vol. 1, pags. 149-151; Robert *A. Graham*: Bulgaria: dead end for the free word? apud America, 1952, december, 27, pp. 352-354). Hac iniqua sententia gravior adhuc devenit illa sat tristis condicio in qua, inde a finito bello, sed praesertim ab anno 1948, versabatur Ecclesia bulgarica, quae etsi parva

omnino, innumeras et acerbissimas iniustasque vexationes ex parte auctoritatis civilis pati debuit et adhuc patitur (Civiltà Cattolica, (1953) vol. 1, pags. 139-152).

Sacra Pastorum hierarchia destructa, facile intelligitur quantis sit periculis plena condicio sacerdotum, ac praesertim fidelium, in quos, ut eos a communione cum episcopis et sacerdotibus, immo a communione cum Romano Pontifice separet, iniquam coactionem exercet potestas civilis, minis, calumniis, carceri, aliisque punitionibus minime parcens. Dum status civilis, ad suum finem assequendum, omnibus prorsus mediis: radio, ephemeridibus, cinematographo, scholis, comitiis, aliisque utitur, quibus calumnias in Ecclesiam et in Episcopos coniicere non desinit, eos tamquam patriae infensos exhibendo, et, ut quamlibet ideam religiosam destruat, materialismum atheisticum indesinenter praedicat. Diuturna haec hostilis activitas atque praedicatio malos fructus, prout etiam ipsa experientia hodierna edocemur, necessario afferet (Cf. *G. Moioli* l. c.; *G. de Vries*, l. c., pag. 283 ss.; Civiltà Cattolica, (1949) vol. 2, pags. 42 ss.; 51 s.). Eo vel magis, quod, sicut de Ecclesia romena asserebat Summus Pontifex, et nos iure ad ceteras quoque ecclesias extendere possumus, « nulla catholicis facultas datur suam scriptis extollendi vocem; qua quidem veritas refulgeat, ac sacra Ecclesiae iura in sua luce in tutoque proviribus reponantur » (AAS (1952) 250), qua calumniae refellantur, fideles contra errores tam late sparsos praemuniantur, iique animo erigantur.

His non obstantibus, etsi deflendae sint defectiones non paucae (Cf. Moioli, l. c.), potuit tamen R. P. laudare invictam fidelitatem catholicorum orientalium, qui, una cum fidelibus ritus latini « strenuo animo suam fidem retinent; christiani nominis hostibus eadem invicta firmitate obsistunt, qua olim obstitere maiores vestri;... in arctissima cum Romano Pontifice et cum peculiaribus cuiusque suis Pastoribus coniunctione fideliter persistunt;... »

Exempla revera fortitudinis ac fidelitatis minime desunt, immo multa proferre possemus sive inter episcopos et sacerdotes, sive inter simplices fideles. Eminet imprimis exemplum quod nobis et mundo praebent tot episcopi, qui, nullo excepto, aut mortem aut quamlibet aliam poenam sustinere maluerunt, ut propriam fidem ac communionem cum Petro immaculatas servarent, et ne proprio officio deessent. (Exempla aliqua particularia vid. possunt: G. *Moioli*, l. c. pags. 536-538; in Civiltà Cattolica, (1949), vol. 2, pags. 47-48). Exemplum episcoporum imitati sunt quamplurimi sacerdotes, quorum non pauci etiam mortem oppetiverunt, sicut iure creditur de multis ex illis qui in urbe Leopoli detenti fuerant, et postea in Russiam deportati. Multi sacerdotes e dioecesi Leopolitana suam fortem fidelitatem professi sunt palam in litteris ad Mi-

nistrum russicum Molotov die 28 maii 1945 datis, quibus, non solum contra quemdam coetum schismaticum a publicis auctoritatibus constitutum protestati sunt, sed etiam contra inclusionem episcoporum, quorum libertatem petierunt, simul cum libero Ecclesiae regimine (Cf. AAS (1946) 58-59; Il Cristianesimo nell'Unione Sovietica, pag. 286-287). Apud romenos multi sacerdotes, quia ecclesiae schismaticae nomen dare renuerunt, et carcerem et alias poenas etiam corporales subiere. (Aliqua afferuntur in Civiltà Cattolica (1949) vol. 2 pp. 42, 44, 48 ss.). Cum episcopo Bossilkof, in Bulgaria, tres sacerdotes poena mortis damnati sunt, aliique, ut dictum est, diversis poenis multati quoque sunt. Neque inter simplices fideles nobilissima exempla desunt huius amoris et fidelitatis erga Sanctam Ecclesiam Romanam Christique Vicarium. Ipse Pius XII significat, modo generali, quanta propter fidem sustinere debuerunt et debent multi laici (Cf. Il Cristianesimo nell'Unione Sovietica, pag. 286 ss; 291: Civiltà Cattolica (1949), vol. 2, pags. 47 s.).

Non immerito, igitur, Pius XII, post relatam et laudatam hanc catholicorum orientalium invictam constantiam, eam tamquam auspicium futurae tutissimaeque victoriae extollit, « illius dicimus victoriae, quae non ex hominum invicem dimicantium cruore oritur, non effreno terreni dominatus studio alitur, sed aequa legitimaque animorum libertate solidatur; sed iustitia civibus, populis, gentibus non nomine tenus, at re quoque attributa; sed pace fraternaque caritate, quae omnes amicitiae vinculis coniungat; sed religione potissimum, quae mores recto ordine componat, quae privatas cupiditates temperet easque iubeat communi bono inservire, quae mentes ad caelestia erigat, quae denique sit civilis consortionis omniumque concordiae altrix ».

Punctum III - Summus Pontifex, sui officii memor, ad Fratres suos filiosque confirmandos accedit, quod ut faciat, in memoriam eorum revocat, non solum exemplum eorum qui, etsi in tam lamentabile discrimen adducti, in sua tamen virtute perstant, sed praeterea veram radicem et causam huius immanis persecutionis qua Ecclesiae orientales et peculiari modo ipsi episcopi tam acerrime hodie vexantur eo quod in ipsis Christi sacerdotium perseverat et refulget.

Episcopi et sacerdotes, quia participes sunt Sacerdotii Christi, necessario etiam et Eius dolores participare debent, nam « non est discipulus supra magistrum » (Math. 10, 2) et « si me persecuti sunt, et vos persequentur » (Ioan. 15, 20), prout Ipse S. Pontifex recordatur. Quae verba, si semper vera fuerunt, non minus, immo magis nostris diebus vera esse debent; nam, hostes cum quibus est nostra colluctatio, quidquid sacrum, quidquid divinum aut ad

divina refertur delere totis viribus conantur. In episcopis, vero, et in sacerdotibus divinum Christi sacerdotium fulget, quo, ex voluntate Eiusdem Christi, terra cum coelo, homo cum Deo coniungi debet. « Haud miremur, igitur, ait S. P., si nostra aetate, magis fortasse quam elapsis iam saeculis, Iesu Christi Ecclesia ac praesertim sacrorum administri vexationibus, mendaciis, calumniis, omneque genus miseriis ac iacturis divexantur; sed in eo potius tutissimam spem reponamus, qui, si haec adventura mala iam praedixerat, hisce tamen verbis nos praemonitos voluit: In mundo praessuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum » (Ioan. 16, 33).

Episcopi, igitur, non solum animo concidere non debent, sed, maiorum exempla sequuti, usque ad martyrium decertare; immo, eorum est ceteros fideles, eos praesertim qui in graviore rerum discrimine versantur, christiana fortitudine roborare; quod ut efficacius faciant, una cum latini ritus fidelibus, communes preces ad Dominum et ad amantissimam eius Matrem admoveant, plenam fiduciam reponentes in potenti auxilio divino. Una cum precibus, pro persecutoribus etiam fundendis, opera quoque poenitentiae Deo sunt offerenda, quibus Eius divinam maiestatem tot tantisque iniuriis offensisque laesam propitiam reddere valeamus.

Tandem Summus Pontifex, suum vere paternum animum erga orientales illos filios manifestat, qui in illis regionibus infirmitates, dolores maeroresque patiuntur, vel in vincula coniecti sunt. Cum eos revera visitare non possit, ut id tamen aliquo modo efficiat, ac Se inter eos praesentem faciat, pro eis ad benignissimum Deum suas supplicationes ac paenitentiae actus offert, ut Ipse « ad hos maerentes fratres filiosque Nostros velit solatores suos angelos mittere, itemque uberrima eis velit caelestia sua munera concedere, quae eorum animos recreent, confirment, roborent, et ad superna erigant ».

Punctum IV - Summus Pontifex omnes exhortatur christifideles ut assiduas preces, praesertim in Eucharistia, pro fratribus qui in discrimine versantur, ad Deum ad eiusque almam Genitricem admoveant; id praesertim fiat durante Octavario, quod mense ianuario, pro reditu omnium ad Ecclesiam, in multis locis celebratur.

Ut frater a fratre adiuvetur, et ut solidarietas inter omnes filios Ecclesiae catholicae manifestetur, quae, etsi diversis utatur ritibus, Una est atque omnium Mater, et ad unam eamdemque Mensam omnes suos filios congregat, eosque eodem Pane nutrit, Romanus Pontifex omnes catholicos, sacerdotes primum, deinde etiam ceteros fideles exhortatur, ut memoriam facere velint illorum fratrum, praesertim episcoporum ac sacerdotum, qui ob iniquitatem hominum « longe a propriis templis a propriisque gregibus, facul-

tate carent ad altare, sacrificandi causa, accedendi, divinoque illo se suosque pascendi pabulo, ex quo quidem animi nostri suavitatem hauriunt, quae omne desiderium exsuperat, eamque percipiunt fortitudinem, quae parit victoriam ».

Quae communis oratio opportunum tempus habebit, ut ipse Pius XII indicat, sed non praecipit, in Octavario quod, multis in locis, mense ianuario (a die 18-ad diem 25) fieri solet, ad reditum obtinendum eorum qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sunt. In hac, igitur, praesertim occasione, supplicationes fiant, non solum ut unitas gregis, quae erat in votis Divini Fundatoris Ecclesiae, obtineatur, sed, praeterea, ut iuvamen nostris propriis fratribus afferamus, scil. « ut etiam carceres aperiantur ac dissolvantur vincula, quibus tam plurimi hodie, idcirco quod religionis instituta ac iura invicto animo defendere ac tueri enisi sunt, misere afflictantur; ac christiana veritas, iustitia, concordia et pax, quae singulorum universorumque suprema bona sunt, ubique gentium triumphent ».

Clemens Pujol S. J.

MOTU PROPRIO

DE S. R. E. PATRUM CARDINALIUM HABITU

PIUS PP. XII

Valde solliciti ob peculiares nostrorum temporum condiciones, quas laboriosa experimenta ac periclitationes graviores cotidie difficilioresque reddunt, quasque summa consideratione summaque cura dignas ea vota efficiunt, ad quae assequenda multi hodie nobili quadam anxietudine contendunt, semper Nos opportunum Nostraeque conscientiae officio consentaneum duximus illis respondere monitis, quae inde oriuntur: ut omnes nempe, peculiarique modo e sacro ordine viri, ad vivendi rationem magis sobriam, moderatam atque austeram compellantur.

Hac de causa, ad Nos etiam quod pertinet, exemplum hisce in rebus praebere placuit: placuit videlicet exteriores ritus aliquantulum temperare, qui ad explendum pertinent Apostolici officii Nostri munus, hoc est sacras caerimonias ad simpliciorem brevioremque formam redigere; atque imprimis idcirco laetitia afficimur, quod cernimus omnes cordatos homines, cum in singulorum agendi consuetudine, tum in publicae vitae actionibus, ad clerum etiam quod attinet, magis quam fastum, impensam admirari sollicitudinem erga humanae consortionis necessitates.

Nobis igitur in animo est nonnullas edere normas ad Patrum Cardinalium vestes quod pertinet, qui quidem, et sunt Nobis carissimi, et Nobis tantopere adsunt in universa gubernanda Ecclesia. Novimus siquidem eos non ad admirantium curiositatem spectare, sed ad praeclaram suam ipsorum dignitatem et auctoritatem in sua luce ponendam; ac pari modo Nobis perspectum est non tantum eos ab inani luxu abhorrere, sed ea potius, quae ecclesiasticum patrimonium, christifidelium pietas atque interdum quoque familiares opes eis attribuerunt, in beneficentiae incepta liberaliter impendere, cum sibi plane persuasum habeant, Evangelicae sapientiae praeceptis illud respondere, ut qui supersunt proventus, ii etiam qui a moderatiore vivendi vestiendique usu oriuntur, in divini cultus, in caritatis, in iuventutis educationis et in apostolatus operibus collocent.

Quapropter, dum eos debito honestamus praeconio, putamus Nos eorum laudabilia consilia christianaque proposita faciliora efficere

per has, quas Motu Proprio statuimus, normas, ad Patrum Cardinalium habitum pertinentes:

I - De Patrum Cardinalium talari veste, sive rubri sive violacei coloris syrma seu cauda demenda est.

II - Eorum cappae syrma seu cauda, quae neque in Summi Pontificis Cappellis, neque in Sacris Consistoriis evolvenda erit, ad dimidiam est circiter partem redigenda, eius magnitudine perspecta, quae hodie in usu est.

III - Eorum vestimenta violacei coloris (talaris vestis, mantelleta, mozeta) lanea sunto; attamen Patres Cardinales, qui serica huiusmodi vestimenta violacei coloris iam antea habuerint, iisdem indui statis temporibus pergere poterunt.

IV - Caerimoniarum normae in Romana Curia redintegrentur, ad habitum pertinentes eorum Patrum Cardinalium, qui vel ex Canonicis Regularibus, vel ex Clericis Regularibus, vel ex Religiosis Congregationibus in Sacrum Collegium cooptantur.

V - Quas decrevimus normas, eaedem a Calendis Ianuariis proximi anni MCMLIII vigere incipiant.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXX mensis Novembris, sacri Adventus Dominica prima, anno MCMLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 849-850)

SACRA CONGREGATIO RITUUM

DUBIA

Edito Motu Proprio « Valde solliciti » diei 30 mensis novembris 1952, super vestibus E.morum S. R. E. Cardinalium, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione ac declaratione sequentia dubia proposita sunt:

1) An praefatae « Motu Proprio » dispositiones circa vestem talarem et cappam E.morum Cardinalium extendi debeant vestibus et cappis Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Sanctae Romanae Ecclesiae, necnon Abbatum sive saecularium sive regularium talibus fruentium privilegiis?

2) An vestis quoque talaris Protonotariorum, Praelatorum et aliorum, qui privilegiis Praelatorum propriis fruuntur, sine syrmate seu cauda esse debeat?

Sacra porro Rituum Congregatio sedulo perpendens easdem rationes, quae in Motu Proprio commemorantur, etiam pro Episcopis aliisque valere, prorpositis dubiis, de mandato Ss.mi, respondendum censuit: « Affirmative ad utrumque ».

Atque ita rescripsit, declaravit et ab omnibus servari mandavit, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Rituum Congregationis, die 4 mensis Decembris 1952.

+ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 888)

DECRETUM

Iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. II, c. VIII, n. 2) et antiquam ecclesiasticam disciplinam in omnibus Ecclesiis Cathedralibus aula quaedam, secretarium appellata et ab Ecclesia separata, exstare debet, ubi Episcopus, Missam sollemniter celebraturus, sacra indumenta accipiat. Si vero alicubi tale secretarium desit, usu factum est ut Episcopus aliquod sacellum in ipsa Ecclesia seligeret. Iam vero cum minus congruum videatur sandalia et caligas in ipsa Ecclesia assumere, Sacra Rituum Congregatio statuendum censuit ut, quando, iuxta rubricas, Episcopus sandalia et caligas in sacris caerimoniis assumere debet, ea nunquam in Ecclesia, nec in throno vel faldistorio induat, sed vel in secretario ab Ecclesia distincto, aut domi: reformatis hoc sensu rubricis et decretis usque adhuc vigentibus. Quod Decretum Ss.mus D. N. Pius. div. Prov. Pp. XII edi iussit, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, e Secretaria S. Rituum Congregationis, die 4 mensis Decembris 1952.

+ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 887)

ADNOTATIONES

Rationes, quae Summum Pontificem et Sacram Rituum Congregationem suasere ad relatas normas edendas, non obstantibus contrariis dispositionibus Caeremonialis Episcoporum, clare patent ex proemio ipsius « Motu Proprio ». Exteriorem magnificentiam ipse Summus Pontifex aliquantulum minuit in quibusdam sacris functionibus, uti in sollemni Beatorum canonizatione, exteriorem ritum aliquantulum temperando sacrasque caeremonias ad simpliciorem brevioremque formam redigendo. Voluit igitur ut et in publicae vitae actionibus magis quam fastum, ad clerum quod attinet, sollicitudo erga humanae consortionis necessitates eniteat. Consequenter in indumentis Cardinalium quasdam mutationes attulit. Syrma seu cauda, quae nimis ampla seu longa videbatur in septem metris suae longitudinis, nunc ad medietatem est reducenda, idest ad metros 3,50 circiter, numquam vero explicanda sive in concistoriis sive in Cappellis Summi Pontificis. Nihil vetat tamen ut in sacris functionibus, quibus E.mus Cardinalis cappa magna indutus interest, eam explicare queat.

Cauda seu syrma vestis praelatitiae originem ducit ex usu equitatus Papae suaeque pontificiae familiae cum ad sacras functiones in aliis basilicis perfungendas sese ferebat, aut possessionem capiebat suae Cathedrae ad S. Joannem in Lateranum. Tunc cauda posteriorem partem equi vel mulae cooperiebat. Huiusmodi cauda in vestibus violaceis Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Protonotariorum Apostolicorum ceterorumque praelatitiae vestis privilegio gaudentium est omnino demenda; tunc et sacrae functiones expeditiores evadent. Item dicendum de caligis et sandaliis, quae a Pontifice una simul cum ceteris paramentis sacris sumebantur, depositis iis in equitatu adhibitis. Pontifex igitur pontificalia celebraturus ecclesiam adire debet jam caligis et sandaliis sive in sacrario ab ecclesia distincto sive domi indutus.

Quae igitur in Caeremoniali Episcoporum (lib. I c. 10, n. 2; lib. II, c. 8, n. 7, et c. 14 n. 7) habentur quoad caligas et sandalia, mutari debent juxta dispositum relati decreti.

SILVERIUS MATTEI
A studiis S. Rituum Congregationis

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE DISCIPLINA SERVANDA QUOAD IEIUNIUM EUCHARISTICUM

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christus Dominus, « in qua nocte tradebatur », [1] cum postrema vice veteris Legis celebravit Pascha, coena facta, [2] accepit panem, et gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur »; [3] itemque calicem eis porrexit asseverans: « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur », [4] « Hoc facite in meam commemorationem ». [5] Quibus ex Sacrarum Litterarum locis omnino patet Divinum Redemptorem ultimae huic paschali celebrationi, in qua agnus ex Hebraeorum ritibus manducabatur, voluisse substituere novum Pascha, ad saeculorum usque obitum permansurum, esum videlicet immaculati Agni, immolandi pro mundi vita, ita ut novum Pascha novae Legis Phase vetus terminaret, et umbram fugaret veritas. [6]

Quandoquidem autem utriusque coenae eiusmodi coniunctio idcirco habita fuit, ut ex antiquo Paschate ad novum significaretur transitus, facile perspici potest cur Ecclesia, in Eucharistico Sacrificio ex Divini Redemptoris iussu in eius commemorationem renovando, a veteris agapes more discedere potuerit, et Eucharisticum ieiunium in usum inducere.

Etenim inde ab antiquissima aetate consuetudo invaluit Eucharistiam christifidelibus ieiunis administrandi. [7] Saeculo autem exeunte quarto iam in variis Conciliis ieiunium iis praecipiebatur, qui Eucharisticum celebraturi essent Sacrificium. Itaque anno CCCLXXXXIII Hipponense Concilium haec decrevit: « Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur »; [8] quod praecep-

---

[1] *I Cor.* XI, 23.
[2] Cfr. Luc., XXII, 20.
[3] *I Cor.*, XI, 24.
[4] Matth., XXVI, 28.
[5] Cfr. *I Cor.*, XI, 24-25.
[6] Cfr. hymn. *Lauda Sion* (Missale Rom.).
[7] Cfr. Ben. XIV, *De Syn. Dioec.*, 1. 6. c. 8, n. 10.
[8] Conc. Hipp., can. 28: Mansi, III, 923.

tum paulo post, hoc est anno CCCLXXXXVII, ex Carthaginensi Concilio III iisdem verbis edebatur; [9] ac saeculo ineunte quinto haec consuetudo satis communis et immemorabilis dici potest; quamobrem S. Augustinus affirmat sanctissimam Eucharistiam a ieiunis semper accipi itemque per universum orbem morem istum servari. [10]

Procul dubio haec agendi ratio gravissimis innitebatur causis, in quibus et ante omnia memorari potest, quam Apostolus gentium lamentatur, cum de fraterna christianorum agape agit. [11] Etenim cibo potuque se abstinere cum summa illa reverentia congruit, quam supremae Iesu Christi maiestati debemus, cum eum Eucharisticis delitescentem velis sempturi sumus. Ac praeterea, dum, ante quodlibet alimentum, eius pretiosissimo Corpore ac Sanguine vescimur, luculenter demonstramus illud esse primum ac summum nutrimentum, quo animus alatur noster eiusque augeatur sanctitas. Quapropter idem Augustinus haec monet: « Placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi ». [12]

Neque debitum solummodo honoris munus hoc ieiunium Divino tribuit Redemptori, sed pietatem etiam fovet; ideoque ad saluberrimos illos sanctitatis fructus augendos conferre potest, quos bonorum omnium fons et auctor Christus a nobis, gratia ditatis, elici postulat.

Nemo ceteroquin est, qui experiundo non agnoscat ex ipsis humanae naturae legibus contingere ut, cum corpus cibo oneratum non sit, mens erigatur agilior, atque impensiore moveatur virtute ad arcanum illud excelsumque meditandum mysterium, quod in animo, tamquam in templo, agitur, divinam adaugens caritatem.

Quanta cura Ecclesia Eucharisticum ieiunium servandum curaverit ex eo etiam erui potest, quod illud, gravibus quoque poenis violatoribus impositis, imperavit. Etenim Concilium Toletanum VII, anno DCXXXXVI, excommunicationem ei comminatum est, qui non ieiunus sacris fuisset operatus; [13] anno autem DLXXII Concilium Bracarense III, [14] et anno DLXXXV Concilium Matisconense II [15] iam

---

[9] Conc. Carth. III, cap. 29: MANSI, III, 885.
[10] Cfr. S. AUGUST., *Ep. LIV ad Ian.*, cap. 6: MIGNE, *PL*, XXXIII, 203.
[11] Cfr. *I Cor.*, XI, 21 sq.
[12] S. AUGUST., l. c.
[13] Conc. Tolet. VII, cap. 2: MANSI, X, 768.
[14] Conc. Bracar. III, can. 10: MANSI, IX, 841.
[15] Conc. Matiscon. II, can. 6: MANSI, IX, 952.

decreverant eum, qui huius rei evasisset reus, de sui muneris honorisque sede deponendum esse.

Attamen, volventibus saeculis, illud quoque diligenter consideratum est, interdum nempe esse opportunum, ob peculiaria rerum adiuncta, hanc ieiunii legem, ad christifideles quod attinet, aliquatenus relaxare. Quam ad rem Constantiae Concilium, anno MCCCCXV, dum eiusmodi sacrosanctam legem confirmat, addit quoque quoddam temperamentum: « ... sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso ». [16]

Placuit haec in memoriam ea de causa reducere, ut omnes perspectum habeant Nos, quamvis novae temporum rerumque condiciones suadeant ut non paucas facultates ac venias hac in re concedamus, velle tamen per Apostolicas has Litteras summam huius legis consuetudinisque vim confirmare ad Eucharisticum quod attinet ieiunium; ac velle etiam eos admonere, qui eidem legi obtemperare queant, ut id facere pergant diligenter, ita quidem ut ii solummodo, qui in necessitate versentur, hisce concessionibus frui possint secundum eiusdem necessitatis rationes.

Suavissimo Nos solacio afficimur — quod libet heic, etsi breviter, declarare — cum pietatem cernimus erga Augustum altaris Sacramentum cotidie magis increbrescere non modo in christifidelium animis, sed ad divini cultus etiam splendorem quod pertinet, qui ex publicis populorum manifestationibus saepenumero emicat. Quam ad rem haud parum procul dubio contulere sollicitae Summorum Pontificum curae, ac praesertim Beati Pii X, qui quidem, ad priscam Ecclesiae consuetudinem renovandam omnes advocans, eos adhortatus est, ut quam creberrime, immo cotidie si possent, ad Angelorum mensam accederent; [17] ac parvulos quoque ad caeleste hoc pabulum invitans, sapienti consilio statuit praeceptum sacrae Confessionis sacraeque Communionis ad eos singulos universos spectare, qui iam ad rationis usum pervenissent; [18] quod

---

[16] Conc. Constant., sess. XIII: MANSI, XXVII, 727.

[17] S. Congr. Concilii, Decretum *Sacra Tridentina Synodus*, d. d. XX mensis Decembris, an. MCMV: *Acta S. Sedis*, XXXVIII, 400 sq.

[18] S. Congr. de Sacramentis, Decretum *Quam singulari*, d. d. VIII mensis Augusti, an. MCMX: *Acta Ap. Sedis*, II, p. 577 sq.

etiam in iuris canonici Codice sancitum est. [19] Hisce Summorum Pontificum curis christifideles ultro libenterque respondentes, ad sacram Synaxim frequentiores usque accessere. Atque utinam haec caelestis Panis fames divinique Sanguinis sitis in omnibus cuiusvis aetatis hominibus in omnibusque civium ordinibus exardescant!

Animadvertendum tamen est ea quibus vivimus tempora eorumque peculiares condiciones multa in societatis usum in communisque vitae actionem induxisse, ex quibus graves difficultates oriantur, quae possint homines a divinis participandis mysteriis abstrahere, si Eucharistici ieiunii legi eo prorsus modo ab omnibus obtemperandum sit, quo ad praesens usque tempus obtemperandum erat.

Imprimisque patet omnibus clerum hodie ingravescentibus christianorum necessitatibus numero imparem esse; qui quidem festis praesertim diebus nimium saepe laborem tolerare debet, cum serius Eucharisticum Sacrificium ac non raro etiam bis vel ter celebrare debeat, cumque interdum officio quoque teneatur longinquum faciendi iter, ut sacra ne desint haud parvis sui gregis partibus. Enervantes eiusmodi apostolici labores sacerdotum valetudinem procul dubio debilitant; idque eo vel magis quod non modo Missae litandae cum Evangelii explicatione, itemque sacris Confessionibus audiendis, catechesi impertiendae, ceterisque sui muneris partibus increscenti studio increscentique opera vacare debent, sed iis etiam rationibus rebusque diligenter prospicere ac consulere, quas asperum illud certamen adversus Deum eiusque Ecclesiam postulat, tam late hodie, tam callide acriterque excitatum.

At mens animusque noster ad eos potissimum advolat, qui procul a patria cuiusque sua, in longinquis operantes terris, huic Divini Magistri invitationi iussionique generosi responderunt: « Euntes ergo docete omnes gentes »; [20] ad Evangelii praecones dicimus, qui, gravissimis etiam exantlatis laboribus atque itinerum difficultatibus omne genus superatis, eo omni nisu contendunt, ut christianae religionis lumen omnibus pro facultate affulgeat, utque suos greges, saepenumero a catholica suscepta fide adhuc recentes, angelico illo enutriant cibo, qui virtutem alat pietatemque refoveat.

Iisdem fere in rerum adiunctis ii quoque christifideles versan-

---

[19] C. I. C., can. 863; cfr. can. 854, § 5.

[20] Matth., XXVIII, 19.

tur, qui vel in non paucis regionibus a catholicis Missionalibus excultis, vel in aliis locis commorantes, cum proprium apud se non habeant sacrorum administrum, alterius sacerdotis adventum in seras horas exspectare debent, ut Eucharisticum participare queant Sacrificium, seseque divino enutrire pabulo.

Ac praeterea, postquam machinae omne genus in usum inductae fuere, saepissime contingit ut opifices non pauci vel officinis, vel vehicularibus maritimisque muneribus, vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, non modo per diem sed per noctem etiam alternis iteratisque laboris vicibus occupentur, ita quidem ut debilitatae eorum vires eos interdum compellere possint ad aliquid nutrimenti accipiendum, atque adeo iidem impediantur quominus ad Eucharisticam mensam ieiuni accedant.

Ad hanc eamdem mensam matres quoque familias saepenumero venire nequeunt, antequam domesticis curis prospexerint, quae multas saepe ab eis postulant laboris horas.

Parique modo evenit ut in puerorum puellarumque scholis ac litterarum ludis plurimi habeantur, qui divino illi invitamento respondere cupiant: « Sinite parvulos venire ad me » [21], cum fore omnino confidant ut ille, qui « pascitur inter lilia » [22] suum ipsorum animi candorem morumque integritatem contra iuvenilis aetatis illecebras ac mundi insidias tutetur; verumtamen perdifficile interdum iisdem est, antequam ad scholam se conferant, sacras adire aedes ibique sese Angelico enutrire Pane, postea vero domum redire ut necessarium suscipiant nutrimentum.

Hoc praeterea animadvertendum est saepe hodie contingere ut frequentissimae populi multitudines ex alio ad alium locum postmeridianis horis ea de causa transgrediantur, ut religiosas celebrationes, vel coetus de re sociali habendos participent; si igitur hisce etiam datis occasionibus liceat Eucharisticum peragere Mysterium, quod divinae gratiae vitalis fons est voluntatesque iubet ad virtutem adipiscendam exardescere, haud dubium est inde vim hauriri posse, qua omnes ad christiane penitus sentiendum operandumque excitentur, et ad legitimis etiam obtemperandum legibus.

Peculiaribus hisce considerationibus haec adicere opportunum vivdetur, quae ad omnes spectant; quamvis nempe nostris hisce tem-

---

[21] Marc., X, 14.
[22] *Cant.*, II, 16; VI, 2.

poribus ars medica ac disciplina illa, quae hygiene dicitur, tantos progressus fecerint, tantumque contulerint ad mortuorum numerum in puerili praesertim aetate minuendum, nihilo secius praesentis vitae condiciones atque ea, quae ex immanibus huius saeculi bellis consecuta sunt incommoda, eiusmodi sunt, ut non parum corporum constitutionem valetudinemque debilitaverint.

Hisce de causis, quo praesertim experrecta in Eucharistiam pietas facilius augeatur, e variis Nationibus Episcopi non pauci, officiosis datis litteris petiere, ut haec ieiunii lex aliquantulum mitigaretur; atque iam haec Apostolica Sedes peculiares hac in re facultates ac venias sacrorum administris ac christifidelibus benigne concessit. Ad quas concessiones quod attinet, memorare libet Decretum, quod *Post Editum* inscribitur, a S. Congregatione Concilii die VII mensis Decembris, anno MCMVI, pro infirmis datum [23]; ac Litteras die XXII mensis Maii, anno MCMXXIII, Locorum Ordinariis a S. S. C. S. Officii pro sacerdotibus datas [24].

Postremis hisce temporibus, Episcoporum hac de re petitiones crebriores impensioresque fuere, atque ampliores pariter fuerunt facultates concessae, eae potissimum quae belli occasione dilargitae sunt. Id procul dubio luculenter indicat novas, graves, non intermissas ac satis generales exstare causas, quibus nimis difficile sit, multiplicibus in rerum adiunctis, cum sacerdotes Eucharisticum sacrificium celebrare, tum christifideles Angelico vesci Pane ieiunos.

Quamobrem, ut gravibus hisce incommodis ac difficultatibus occurramus, utque indultorum diversitas in actionum discrepantiam ne cedat, necessarium ducimus Eucharistici ieiunii disciplinam ita mitigando statuere, ut, quam largissime fieri potest, in peculiaribus etiam temporum locorum ac christifidelium condicionibus, eiusmodi legi omnes obtemperare facilius queant. Haec Nos decernentes, fore confidimus ut haud parum conferre possimus ad Eucharisticae pietatis incrementum, atque adeo aptius permovere atque excitare omnes ad Angelorum participandam Mensam, adaucta procul dubio Dei gloria ac Mystici Iesu Christi Corporis sanctimonia.

---

[23] *Acta S. Sedis*, XXXIX, p. 603 sq.

[24] S. S. Congr. S. Officii Litterae locorum Ordinariis datae super ieiunio eucharistico ante Missam: *Acta Ap. Sedis*, XV, p. 151 sq.

Haec igitur omnia, quae sequuntur, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ac statuimus:

I. Ieiunii eucharistici lex, a media nocte pro iis omnibus vigere pergit, qui in peculiaribus condicionibus non versentur, quas per Apostolicas has Litteras exposituri sumus. Principium tamen generale et commune omnibus in posterum esto, sive sacerdotibus, sive christifidelibus: aquam videlicet naturalem Eucharisticum ieiunium non frangere.

II. Infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt, de prudenti confessarii consilio, per modum potus, vel verae medicinae, exceptis alcoholicis. Eadem facultas sacerdotibus infirmis conceditur Missam celebraturis.

III. Sacerdotes, qui vel tardioribus horis, vel post gravem sacri ministeri laborem, vel post longum iter celebraturi sunt, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, ante quam sacris operentur.

IV. Qui autem bis, vel ter Missam celebrent, ablutiones sumere possunt, quae tamen, in hoc casu, non vino, sed aqua tantum fieri debent.

V. Christifideles pariter, etiamsi non infirmi, qui ob grave incommodum — hoc est, ob debilitantem laborem, ob tardiores horas, quibus tantum ad Sacram Synaxim accedere possint, vel ob longinquum iter, quod suscipere debeant — ad Eucharisticam mensam omnino ieiuni adire nequeant, de prudenti confessarii consilio, hac perdurante necessitate, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, antequam Angelico enutriantur Pane.

VI. Si rerum adiuncta id necessario postulant, locorum Ordinariis concedimus ut Missae celebrationem vespertinis, ut diximus, horis permittere queant, ita tamen ut haec initium non habeat ante horam IV post meridiem, sive in festis de praecepto, quae adhuc vigent, sive in illis quae olim viguerunt, sive primis uniuscuiusque mensis feriis sextis, sive denique in illis sollemnibus, quae cum magno populi concursu celebrentur, atque etiam, praeter hos dies, semel in hebdomada, servato a sacerdote ieiunio trium horarum quoad cibum solidum et potus alcoholicos, unius autem horae quoad ceteros ceteros potus non alcoholicos. In his autem Missis christifideles ad Sacram Synaxim accedere poterunt, hac eadem servata

norma ad ieiunium Eucharisticum quod attinet, firmo praescripto can. 857.

Evangelii autem praeconibus, in territoriis Missionum, peculiarissimis perpensis condicionibus in quibus versantur, ob quas raro plerumque habentur sacerdotes, qui longinquas stationes invisere queant, Locorum Ordinarii eiusmodi facultates concedere poterunt ceteris etiam hebdomadis diebus.

Locorum tamen Ordinarii diligenter curent, ut quaelibet vitetur interpretatio, quae concessas facultates amplificet, utque ab omni abusu et irreverentia hac in re caveatur; in hisce enim dilargiendis facultatibus, quas hominum, locorum temporumque condiciones hodie postulant, Nos etiam atque etiam volumus Eucharistici ieiunii momentum, vim atque efficacitatem confirmare ad eos quod attinet, qui Divinum Redemptorem sub Eucharisticis velis latentem accepturi sunt. Ac praeterea, quotiescumque corporis incommodum minuitur, animus debet pro facultate rem supplere, sive interna paenitentia, sive aliis modis, ex tradito Ecclesiae more; quae quidem cum ieiunium mitigat, alia opera adimplenda imperare solet. Qui igitur datis hac in re facultatibus perfrui queant, impensiores ad Caelum admoveant preces, quibus Deum adorent, eidem grates agant, ac praesertim admissa expient novaque impetrent superna auxilia. Cum omnes perspectum habeant oporteat Eucharistiam « tamquam passionis suae memoriale perenne » [25] a Iesu Christo institutam fuisse, ex animis sensus illos eliciant christianae humilitatis christianaeque paenitentiae, quos Divini Redemptoris cruciatuum ac mortis meditatio excitare debet. Itemque eidem Divino Redemptori, qui, perpetuo in altaribus se immolans, maximum renovat sui amoris documentum, adauctos offerant omnes suae erga proximos caritatis fructus. Hac profecto ratione conferent omnes ad illud Apostoli gentium cotidie magis explendum: « Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » [26].

Quaecumque autem hisce Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata ac valida esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis; atque abolitis ceteris omnibus privilegiis ac facultatibus, quomodocumque a Sancta

---

[25] S. Thom., *Opusc. LVII.* Offic. de Festo Corporis Christi, lect. IV, *Opera omnia.* Romae, mdlxx, vol. XVII.

[26] *I Cor.*, X, 17.

Sede concessis, ut ubique omnes hanc disciplinam aeque riteque servent.

Quae quidem omnia, supra statuta, vim suam obtineant a promulgationis die per *Acta Apostolicae Sedis* factae.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, die sexta mensis Ianuarii, in Epiphania Domini, Pontificatus Nostri anno quarto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 15-24).

S. CONGREGATIO S. OFFICII

INSTRUCTIO

DE DISCIPLINA CIRCA IEIUNIUM EUCHARISTICUM SERVANDA

Constitutio Apostolica *Christus Dominus*, hoc ipso die a Summo Pontifice Pio XII, feliciter regnante, data, largitur quidem non paucas facultates ac dispensationes circa legis ieiunii eucharistici observantiam, sed normas maxima ex parte quoad substantiam quoque confirmat Codicis Iuris Canonici (can. 808 et 858, § 1) impositas sacerdotibus et fidelibus, qui eidem legi obtemperare queant. Attamen hisce etiam extenditur favorabile ipsius Constitutionis primum praescriptum, cuius vi aqua *naturalis* (id est sine ulla cuiuslibet elementi adiectione) non amplius frangit ieiunium eucharisticum (Const., n. I). Quod vero attinet ad ceteras concessiones, iis tantum uti possunt sacerdotes et fideles, qui in peculiaribus versantur condicionibus, de quibus in Constitutione cautum est, vel Missas vespertinas celebrant aut in iisdem sacram communionem recipiunt ex licentia Ordinariorum, intra limites novarum facultatum, quae iisdem tributae sunt.

Itaque, ut normae ad huiusmodi concessiones pertinentes ubique conformi ratione serventur atque evitetur quaelibet interpretatio, quae concessas facultates amplificet, utque ab omni abusu hac de re caveatur, Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, iussu mandatuque Summi ipsius Pontificis, statuit quae sequuntur:

Quoad infirmos sive fideles sive sacerdotes

(Const., n. II)

1. Fideles infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis alcoholicis, si, suae infirmitatis causa, usque ad sacrae communionis receptionem ieiunium, absque gravi incommodo, nequeunt servare integrum; possunt etiam aliquid sumere per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta. Advertendum autem est, non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum.

2. Condiciones, quibus quis dispensatione a lege ieiunii frui possit, nulla adiecta ante communionem temporis limitatione, prudenter a confessario perpendendae sunt, neque quisquam sine eius consilio uti potest. Confessarius autem suum consilium dare poterit sive in foro interno sacramentali, sive in foro interno extra-sacramentali, etiam semel pro semper, perdurantibus eiusdem infirmitatis condicionibus.

3. Sacerdotes infirmi, etiamsi non decumbant, dispensatione pariter uti possunt, sive sint Missam celebraturi, sive sanctissimam Eucharistiam recepturi.

Quoad sacerdotes qui in peculiaribus adiunctis versantur

(Const., nn. III et IV)

4. Sacerdotes non infirmi, qui *a*) vel *tardioribus horis* (i. e. post horam nonam), *b*) vel *post gravem sacri ministerii laborem* (v. gr. iam a summo mane seu per longum tempus), *c*) vel *post longum iter* (i. e. saltem 2 km. circiter pedibus percurrendum, vel proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione), celebraturi sunt, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis.

5. Tres casus supra numerati tales sunt, ut omnia comprehendant rerum adiuncta, in quibus legislator praefatam facultatem concedere intendit ideoque quaelibet vitetur interpretatio quae facultates concessas amplificet.

6. Sacerdotes, qui in hisce adiunctis versantur aliquid sumere possunt per modum potus semel vel pluries, servato ieiunio unius horae ante Missae celebrationem.

7. Praeterea omnes sacerdotes, qui bis vel ter sunt Missam celebraturi, possunt in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis Missalis praescriptas sumere, sed tantum adhibita aqua, quae quidem, iuxta novum principium, ieiunium non frangit.

Qui tamen die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas sine intermissione celebrat, quod ad ablutiones attinet, rubricas observare tenetur.

8. Si vero sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Quoad fideles qui in peculiaribus adiunctis versantur

(Const., n. V)

9. Fidelibus pariter, qui non infirmitatis causa, sed *ob aliud grave incommodum* ieiunium eucharisticum servare nequeunt, aliquid sumere licet per modum potus, exceptis tamen alcoholicis et servato ieiunio unius horae ante sacrae communionis receptionem.

10. Causae autem *gravis incommodi* tres enumerantur, quas extendere non licet.

a) *Labor debilitans* ante sacram communionem susceptus.

Hoc labore afficiuntur tum opifices, qui, officinis vel vehicularibus maritimisque muneribus vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, diu noctuque per vices occupantur; tum illi, qui ex officio vel ex caritate noctem vigilem transigunt (v. gr. valetudinarii, custodes nocturni, etc.); tum mulieres praegnantes et matresfamilias quae, antequam ecclesiam adire queant, in domesticis negotiis per longum tempus incumbere debent; etc.

b) *Hora tardior, qua sacra communio recipitur.*

Sunt enim haud pauci fideles, qui tantummodo serioribus horis possunt apud se sacerdotem habere, qui sacris operetur; sunt pueri complures, quibus nimis grave est, antequam ad scholam se conferant, ecclesiam adire, angelico pane vesci, postea vero domum reverti, ientaculi sumendi gratia; etc.

c) *Longum iter peragendum*, ut ad ecclesiam perveniatur.

Longum autem hac super re habendum iter, ut supra explicatum est (n. 4), si saltem 2 km. circiter pedibus percurrendum, vel proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione.

11. Causae quidem gravis incommodi sunt prudenter a confessario pensitandae in foro interno sacramentali vel non sacramentali; neque absque eiusdem consilio fideles non ieiuni sanctissimam Eucharistiam recipere possunt. Confessarius autem consilium eiusmodi dare potest etiam *semel pro semper*, causa eadem gravis incommodi perdurante.

Quoad Missas vespertinas

(Const., n. VI)

Constitutionis vi *Ordinarii locorum* (cfr. can. 198) facultate fruuntur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, si adiuncta id necessario exigunt, praescripto can. 821, § 1, non obstante. Bonum enim commune aliquando sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem expostulat: v. gr. pro quarundam industriarum opificibus, qui festis quoque diebus laboribus succedunt in vices; pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti; pro iis pariter, qui ex dissitis etiam regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt, ad quandam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam, etc.

12. Tamen eiusmodi Missae celebrari possunt non ante horam quartam post meridiem, ac tantummodo in certis diebus *taxative* statutis, seu

a) festis de praecepto vigentibus, ad normam can. 1247, § 1;

b) festis de praecepto suppressis, iuxta Indicem a S. Congregatione Concilii editum, die 28 Decembris 1919 (cfr. *A. A. S.*, vol. XII [1920], pp. 42-43);

c) primis cuiusque mensis feriis sextis;

d) ceteris sollemnibus, qui cum magno populi concursu celebrantur;

e) die uno in hebdomada, praeter dies supra memoratos, si bonum peculiarum personarum classium id postulat.

13. Sacerdotes, qui pomeridianis horis Missam celebrant, itemque fideles qui in eadem sacram communionem recipiunt, possunt *inter refectionem*, permissam usque ad tres horas ante Missae vel communionis initium, sumere *congrua moderatione* alcoholicas quoque potiones inter mensam suetas (v. gr. vinum, cerevisiam, etc.),

exclusis quidem liquoribus. Quoad potus autem, quos sumere possunt ante vel post dictam refectionem, usque ad unam horam ante Missam vel communionem, excluditur *omne alcoholicorum genus*.

14. Sacerdotes, eodem die, nequeunt mane et vespere Sacrum litare, nisi potestatem expressam bis terve Missam celebrandi habeant, ad normam can. 806.

Fideles pariter, eodem die, nequeunt mane et vespere ad sacram Synaxim accedere, ad praescriptum can. 857.

15. Fideles, quamvis non sint de eorum numero, pro quibus Missa vespertina forte instituta sit, ad sacram Synaxim libere accedere possunt, *infra dictam Missam* vel *proxime ante et statim post* (cfr. can. 846, § 1), servatis, quod attinet ad ieiunium eucharisticum, normis supra relatis.

16. In locis vero, ubi non *ius commune*, sed *ius missionum* viget, Ordinarii Missas vespertinas omnibus in hebdomada diebus, iisdem condicionibus, permittere possunt.

Monita ad normas exsequendas.

17. Ordinarii sedulo invigilent, ut omnis abusus et irreverentia erga sanctissimum Sacramentum plane vitetur.

18. Pariter curent, ut nova disciplina a cunctis subditis uniformiter observetur, eosque doceant, omnes facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, hactenus a Sancta Sede concessas, abrogatas esse.

19. Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet. Quod ad consuetudines attinet, quibus a nova disciplina discrepare contingat, clausula illa abrogativa animadvertenda est: « contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis ».

20. Ordinarii et sacerdotes, qui datis a Sancta Sede facultatibus perfrui debent, fideles studiose excitent, ut frequenter Missae Sacrificio adstare velint et pane eucharistico reficiantur opportunisque inceptis, praesertim sacra praedicatione, illud promoveant spirituale bonum, cuius adipiscendi gratia Summus Pontifex Pius XII Constitutionem edere voluit.

Summus Pontifex, hanc Instructionem approbans, statuit, ut

ipsa promulgetur per editionem in *Actis Apostolicae Sedis* una cum Constitutione Apostolica *Christus Dominus*.

Ex Aedibus Sancti Officii, die VI mensis Ianuarii, anno MDCCCCLIII.

\+ I. Card. PIZZARDO, *a Secretis*

L. + S.

A. Ottaviani, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 45, pag. 47-51).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 3 Decembris 1952

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Ernst Michel, *Ehe*, Eine Anthropologie der Geschlechtsgemeinschaft, Stuttgart, Ernst Klett Verlag, 1948, 1950.

Et Feria V, die 11 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 Decembris 1952.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 879)

ADNOTATIONES

Ehe: Matrimonium. En liber in quo novam nobis suppeditari praesumitur de matrimonio doctrinam, anthropologicis suffultam investigationibus eamque e psychicis vitae sexualis regionibus depromptam.

Librum quippe noveramus; ideoque admiratione affecti non sumus cum, haud ita pridem, eum proscriptum fuisse S. Offitio didicimus.

Jam exordiendo promeritum eius auctori (Ernesto Michel) agnoscimus, in eo consistens quod ipse, librum inscribendo, articulum nomini minime anteposuit. Omissio siquidem haec felix apparet, ac certa laude digna, cum palam eadem faciat auctorem intellexisse rem, de qua sibi edisserere proposuerat, egregiam admodum non esse rem ethicam, quae apud christianos populos matri-

monium, praeposito in vulgatis linguis articulo, nuncupatur; ea e contra alia est res, *ex altis* psychologiae latebris (ut ipse opinatur) repetita, aut forte (ut nos arbitramur) exteris fucatisque parta rationibus. Profecto nos desudare et elaborare deberemus in reperiendo, sub specie eiusmodi, christiano matrimonio; neve forte humanum ipsum institutum hoc reperiremus.

Praetereamus psychicas inquisitiones, aliis idoneas commentariorum pagellis, ac libri conclusiones protinus perpendamus: e fructibus enim dignoscetur arbor.

Opus quidem ante oculos habemus, quo ratio amatoria ac subiectiva penitus extollitur, indeque despicatui est omnimoda instituti matrimonialis obiectiva ratio, quod propterea cuilibet societati amatoriae atque sexus voluptates ambienti crudeliter equatur. Statuendum itaque videretur librum liberum, quem vocant, praecipere amorem. Istiusmodi opinationi nonnumquam reclamitat auctor. Verum profitendum revera est conubium, prouti ab ipso celebratur, si liber non est amor, aliquid esse, cui nomen aliud indere difficile procul dubio est. Quid, dicimus, matrimonium quod e verbo « *utique* » dumtaxat ortum *mutuo affectu* enuntiato seu, melius, in vitae consuetudinem inducto unius hominis ac mulieris, ipsiusque evaporatione resolvitur? Regionum psychicarum speculatores se praestans quiddam hodie repperisse putabunt; at qui Juvenalis ac Senecae scripta norunt, haud dubie meminerint hoc ipsum romanis mulieribus pernotum olim fuisse, quippe cum id in usu jam haberent anni temporum mutatione virum mutando. Hei psychicis humanarum disciplinarum regionibus!

Auctor probe scit (vel hanc ei laudem tribuere debemus?) huiusmodi rei novitatem, veluti scruta, a christianorum conscientia dissidere. Paratumque adhibet remedium: christifideles exsolvere sufficit molestâ Ecclesiae tutelâ atque incommodâ ethices praeceptorum sarcinâ; quilibet christianus de sua vivendi ratione conscius sit oportet; externis ductoribus se abstinere ediscat; suorum actorum periculum in se recipiat, ipse per se dijudicans quid sibi faciendum in ea qua versatur condicione sit.

En tandem obortum fatidicum verbum, quod jam nunc in more est, solutionis instar quaestionibus universis accommodatum: *suarum condicionum conscientia;* novissima quidem formula veteri imposita rei, quae ad externam usque diem liberae conscientiae nomine veniebat. Libera conscientia a quanam re? A qualibet alia quae sibi importuna accidat. Hoc est a religione, a potestate, a lege, ac in praesens a generalioribus atque tralaticiis ethices praeceptis, ab omnibus quae in natura posita arbitrio prolabentis temporis resistunt. Paucis quod in opinione est continenter et praedicatur et laudibus effertur.

Adversus huiusmodi condicionum peculiarium ethicen verba fecit ipse christianorum Parens et Magister, cum periculum eius denuntiaret, allocutione ad catholicas puellas in Foedus Internationale ascitas, die 18 aprilis 1952, habita. Apostolico pro suo munere, Augustus Pontifex fautores novae conscientiae commonet eosque adhortatur tu christianae doctrinae elementis denuo operam dent. Quae adhortatio cum summopere opportuna videatur, eam omnium in notitiam venire avendum est, qui, allectationi facile concedendo, novam disciplinae formulam e reconditis animi latebris prosilientem amplexuri sint.

J. G.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Pietro Mattioli, *Ponente*

Dioecesis N.
(x - z)

Nullitatis Matrimonii

(*Sententia diei 7 nov. 1951*).

Species facti. - Marcella, a parentibus atheis die 17 octobris 1908 nata, sine baptismo adolevit. Cum, duodevicesimo aetatis anno vix superato, Petro, adolescenti eiusdem fere aetatis, per intimum commercium se ligasset, post quinque circiter annos talis commercii, imminentibus iam nuptiis, die 18 maii 1931, baptismum suscepit levissimo animo et ineptis *dispositionibus*, imo et ad S. Synaxim accessit.

Postridie, in ecclesia paroeciali loci M., dioeceseos V., matrimonium cum Petro contraxit.

Aliquot post annos, tectum coniugale, quod vir, ratione muneris prius in Marrochio constituerat, dein in civitatem T. transtulerat, prole non recreatum, a muliere, in fidem coniugalem committente, foedatum, miserrime corruit, cum ea ipsa illud dereliquit.

Institit deinde vir apud ipsam, ut ad domum maritalem remearet, sed incassum: quamobrem, anno 1937-38, divortium civile ob uxoris culpam decernendum curavit.

Postea, per civile foedus, alii adhaesit mulieri, e qua filios generavit; itemque Marcella, die 3 octobris 1939, cum viro protestanticae sectae addicto matrimonium attentavit, binam prolem ex eo suscipiens.

Vertente anno 1946, cum vir iste, ex quadam sollemni verbi Dei praedicatione, veram fidem invenisset eamque amplecti statuisset, ac mulier et ipsa ad pium sacramentorum usum, ex debita licentia, revertisset, auscultatis in posterum consiliis et hortamentis personarum ecclesiasticarum, causam hanc canonicam de nullitate vinculi ob metum gravem, quem in eam Petrus intulisset, die 25 ianuarii 1949, coram competente Curia V. instaurandam suscepit. At, die 16 iunii 1950, sententiam obtinuit suis votis contrariam.

Adversus quam S. Sedem appellans, hodie exspectat responsum a Nobis dandum concordato dubio: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

In iure. - Metum, qui in iure intelligitur instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio, si gravis sit ac ceteris can. 1087 C. I. C. requisitis vestitus, matrimonii valori officere, vix est qui ignoret.

Metus probatur per testes, qui, generatim saltem, sint de scientia, utcumque omni exceptione, ob morum honestatem et ob constantiam in deponendo, maiores: inter quos, attenta natura harum causarum, parentes et consanguinei partium non reiiciuntur (c. 1757, § 3, 3°).

Imo, ad receptae doctrinae (Gasparri, *De matrimonio*, 1932, n. 858) et Nostrae iurisprudentiae normam, multum deferendum est depositioni illius, qui metum passus exhibetur, dummodo et ipse sibi constans in omnibus sit, et adiuncta prae ac postnuptialia imperent ut ipsi fides adhibeatur.

Neque obliviscendum est quod in causis matrimonialibus, ac praesertim in causis de metu, in quibus de trepidatione animi patientis, h. e. de actu interno creaturae nulli directe noto, iudicium proferri debet, inepte quaestio institueretur de numero testium, qui ceterum cathegoricis legis praescriptis non decernitur, sed tantum suadetur ut norma, recte quidem exigenda (cf. cann. 1791 et 1869, § 3).

Quam normam non bene applicavisse videntur egr. Iudices, contra quos appellatum est. Etenim, in sententia primae instantiae innuitur ad certitudinem moralem adipiscendam plus quam unum testem de visu constanter ac necessario requiri: veluti si ad complendam vim probativam unius testis, absolute aliud medium dari non posset, praeter testificationem alterius et tertii, qui pariter *directi* sint.

E contra, attentissime cribrandum erit in causis spiritualibus pondus, potius quam numerus testimoniorum: unde, si dicta unius tantum personae, quae eventis, de quibus refert, adstitit, cumulentur cum illis partis vel partium certa ac peculiari fide dignarum, item cum illis aliorum, qui insuspecto tempore de eventis eisdem notitiam habuerunt, tandem cum circumstantiis quibusdam pacifice resultantibus, ceterisque adminiculis et adiunctis, de teste unico vel uno tantum iam amplius quaestio institui non poterit: facta, enim, quae extra dubium sint, et ipsa de se loquuntur, ac plus, aliquando, in iudicio attendi debent, quam viva vox.

Ad rem, iuvat heic ex integro referre locum quemdam valde momentosum decisionis cuiusdam coram R.mo P. D. Lega, Dec., videntibus omnibus, diei 17 ianuarii 1912, vol. IV, n. 8, p. 38-39: « At hi testes sunt omnes de auditu... Etsi admittamus istos rem scivisse tempore non suspecto, tamen huiusmodi testes patiuntur maximam exceptionem, cuius ratio redditur a Reiffenstuel, de test.,

n. 360: « Ratio est quia testes ex auditu alieno non fundantur super principali facto, sed super dicto tertii. Atqui hoc non sufficit, quia testes tenentur deponere de sua, non de aliena scientia, idest de eo, quod per proprium sensum perceperint » MASCARD., *de probat.* concl., 1334, n. 2; D'ANNIBALE, II, n. 587. Haec regula firmatur decisionibus innumeris H. S. O., uti videre est inter *Recent.*, veluti in dec. 136, n. 2; dec. 251, n. 4; dec. 690, n. 7, p. 1 etc. Nihilominus, quando alii testes de scientia desunt, praecipue in causis matrimonialibus, admittuntur et fidem facere possunt in iudicio, ceteris paribus, seu si sint adminiculati, ut in dec. 91, n. 7, part. I, *Recent.*, et dummodo fons, e quo perceperunt facti notitiam, mereatur fidem, uti firmant dec. 447, n. 7, part. III, *Recent.* ».

Etiam in can. 2020, § 5 C. I. C. nonnullae exponuntur normae ad valorem testium ex auditu recte dimetiendum: quorum testificatio, ubi illis de visu coniungatur, viri prudentis iudicio remittitur statuere, toties quoties, an probatio plena habenda sit.

Quae, etsi de causis Beatificationis et Canonizationis dicta sunt nil vetat ut, per analogiam, nostris applicentur.

IN FACTO. - Prae primis Patres sibi quaesiverunt an, actis convenienter rimatis, actricis bona fides plenissima in eis sustinendis scateat, quae apud forum ecclesiasticum assumit, eiusque veracitas in omnibus et singulis, quae coram Iudice fata est.

Et favorabile responsum tam informationes, quas praeclari sacerdotes exhibuerunt, simul cum Episcopo P. (Ordinario loci, in quo actrix residentiam habuit usque ad haec ultima tempora), et quidem sub iurisiurandi fide, quam constantia in eius dictis deprehensa, quam, tandem, causae huius testimonia, nedum suggerere, sed et imponere visa sunt.

Prostant, namque, in actibus, non quaecumque laudativae testificationes, verbis sat vagis expressae, quas parochi facillime donant; sed testimonia credibilitatis vere insignia, in quibus notae et adiuncta bene cognita referuntur, et in quibus fama qua actrix, simul cum socio gaudet, ita pingitur, ut aequivocationibus et exceptionibus non sit locus.

Deponit R.mus Abbas Ioannes: « Je crois à la moralité chrétienne de la femme. Elle m'a dit qu'après avoir eu deux enfants de M. Helme, n'étant pas encore convertie, depuis sa conversion, tout en cohabitant ensemble, ils vivent comme frère et soeur.

En introduisant une action en nullité, la demanderesse m'a dit avoir principalement en vue la légitimation des enfants.

Dans toutes les déclarations, que m'a faites la demanderesse, elle m'a paru digne de foi; il a dû en être de même dans les dépositions, qu'elle a faites ».

Non aliter R.mus P. Benedictus religiosae Superior domus ac magister in Instituto Catholico civitatis: « ...je suis entré en conversation avec elle, et j'ai pu constater sa grande piété; elle fréquente très assidûment notre église; elle assiste tous les matins à la messe de six heures...

Je crois absolument à la moralité chrétienne de la demanderesse: il y a peu de personnes, qui m'inspirent autant de confiance, que cet homme et cette femme, je les ai vu bien de fois, j'ai causé avec eux de toute sorte de sujets religieux, et j'ai été frappé de leur sens de choses de Dieu...

Ils habitent dans le même appartement, mais font, je crois, chambre à part.

Le fait est que la demanderesse communie tous les matins, et il n'y a aucun scandale, parce que tout le monde à T. les croit légitimement mariés.

Je crois tout à fait qu'elle est digne de foi dans ses dépositions, parce que j'ai été toujours persuadé de la loyauté de ses réponses...

La demanderesse a été reçue dans le Tiers Ordre, où on la trouve très édifiante...

J'ai une telle confiance dans la loyauté de parole et de conduite de la demanderesse, que, si j'apprenais qu'elle vit maritalement avec M. Helme, j'en tomberais des nues ».

Tandem, Exc. Ordinarius loci: « Les époux ont divorcé... Mme Marcelle s'est rémariée avec M. Helme. Deux jeunes enfants sont nés de ce mariage. Ces pseudo-époux se sont convertis, et dans l'impossibilité pratique de se séparer ont mené à P. la vie la plus édifiante. Leur situation irrégulière n'a causé aucun scandale, étant ignorée de tous; ces époux ont fait promesse de vivre comme frère et soeur, depuis leur conversion, et il paraissent y avoir été fidèles. L'an passé, ce ménage est parti à T., le mari fonctionnaire y ayant été appelé à exercer ses fonctions.

Mme me parait une femme d'une moralité parfaite. Elle est devenue très proche de sa conscience. Il me semble qu'on peut lui accorder la plus absolue confiance.

Elle paraissait n'avoir qu'un désir: réparer le passé. J'ajoute que nos oeuvres chrétiennes ont beaucoup perdu du fait de son départ. Elle a fait élever ses deux enfants dans une institution chrétienne de la ville. Je souhaiterais de tout coeur qu'elle puisse régulariser sa situation présente ».

Sub luce mox relatorum, quae Patres quidem magni facienda esse duxerunt, utpote quae pronunciantur a viris et condicione praenobilibus, et indubia pariterque eminenti honestate ornatis, et sublimi dignitate praefulgentibus (c. 1789, 1°), qui in favorem actricis interesse nullum, praeter supernaturale, habere praesumuntur,

ad dictae actricis iudicialem confessionem perpendendam iidem Patres attentissime accesserunt.

Actrix depositionem simpliciter exorditur aiendo se Petrum sponte elegisse atque amasse, et quidem tali modo ac mensura, ut sui corporis copiam ipsi faceret: « J'ai rencontré Pierre en 1926... J'étais jeune, éprise de ce jeune homme, nous nous sommes « connus » avant le mariage ».

Post haec, Petrus verus *dominus* mulieris factus est: « Après quoi — subdit — j'ai eu peur d'encourir le blâme de mes parents, j'ai voulu tout ce qu'on a voulu. Je me suis laissé faire ».

Ex hoc quidem provenit ut cum, sensim sine sensu, amor puellae in iuvenem, ceterum praecipue carnalis, refrixit, imo verae aversioni locum cessit, et ipsa illum derelinquere statuit, Petrus, maxime offensus, omni nisu restitit, et, ut vir erat indolis inhumanae ac violentissimus, Marcellam obnitentem minitatus est verbis et factis, non una vice, sed pluries, eo usque perveniens ut clamaret se revelaturum Marcellae genitoribus turpe commercium, quod inter eos intercesserat (ex quo summum dedecus in filia ac gravissima in parentibus indignatio!), et insuper eamdem puellam se suis manibus occisurum. Quod et tentavit: « Le jeune homme — exponit actrix — semblait tenir *farouchement* à la jeune fille, que j'étais. Plusieurs fois, il m'avait menacée, une fois avec le révolver. Il n'avait qu'une idée, je lui appartiendrais alors ».

Et in altero examine, magis perspicue: « Il m'a dit qu'il me tuerait, si je ne consentais pas à être sa femme. Et ceci plusieurs fois. Il m'a pris par le cou, une fois, a serré fort et j'ai senti ma respiration s'arrêter: il voulait m'étrangler ».

Denuo, post haec, commemorat scenas violentas, quas subire debuit, etiam in publica via, praesente sorore eius Henrica, et, dum effugium nullum praesto habuisse dicit, addit aversionem erga virum graviorem in dies devenisse: « Je n'ai pas vu le moyen de m'échapper: mais il est évident, après de circonstances pareilles, que je me retractais de plus en plus et je le détestais de plus en plus ».

Ac, percontanti Iudici an virum capacem habuerit exsequendi minas, respondet: « Oui, je le pensais, car il avait un air obstiné, prêt à tout...

Tandem, proposito quaesito: « N'auriez-vous pas pu échapper à cette contrainte d'une manière ou d'une autre, par exemple en vous réfugiant auprès de vos parents? », haec profert: « Maman m'estimait très pure et me croyait absolument incapable de faire le moindre mal. Pour rien du monde, je n'aurais voulu lui révéler que je n'étais pas la fille, qu'elle croyait que j'étais. J'étais épou-

vantée à la pensée qu'elle puisse apprendre ce que j'avais fait et comme je lui avais menti ».

DD. Iudicibus, quidem, vere incredibile visum est quod actrix, in his proferendis, quin mentiri, sed et machinari quomodocumque potuerit, veritatem ampliando, vel exturbando, vel studiose exponendo. Mulier, quae tam nefandum crimen adversus relligionem et iustitiam ponere ausa non est tempore illo, quo, attentato matrimonio cum viro protestantico, fide destituta, absque sacramentorum auxiliis vixit et egit! Mulier, inquam, quae, plene nunc instructam se exhibens « de totue sorte de sujets religieux », ac laude dignam ob « sens des choses de Dieu » (v. supra), nihil aliud petit, ac petere potest (nam eius abnormis conditio familiaris in mundo ignoratur), nisi animi et conscientiae quietem, ac prolis in facie Ecclesiae legitimationem!

Admittere tamen cogimur cum vinculi tutore sollertissimo haec non sufficere ad probationem contra matrimonii valorem constituendam: etenim non satis est in iudicio vera producere, nisi etiam demonstrentur ad procedurae leges.

Dat et concedit, vero, et ipse egr. vinculi defensor quod, ubi mulier a se exposita, quae nuper auscultavimus, iudicialiter probare valeat, matrimonii nullitas ob metum communem absque dubio agnosci debet.

Marcellae narrationem ante omnes confirmat soror eius Henrica coniug. Franco, quae plura refert, et quidem de propria scientia, circa exortam in actrice aversionem erga conventum, hominem fortem et praepotentem, circa minas ab isto prolatas, circa terrorem actricis, quae effugium invenire non valuit: « Ma sœur — ita testis — avait voulu rompre à cause manque du sentiment profond et à cause du caractère brutal de son amant. Il y avait eu des scènes entre eux. Surtout pendant le dernière année...

Ce qu'écrit ma sœur est absolument certain. Je le sais parce que ma sœur me confiait ses craintes et *que j'ai été témoin d'une scene*, où Pierre causa à ma sœur à la fois une contrainte morale et une contrainte physique; moralement, *devant moi*, il la menaça de dévoiler à nos parents leur liaison. Les parents auraient été outrés, plus que cela, ils l'auraient mise à la porte.

Physiquement, il lui dit que vivre sans elle ne l'intéressait pas, et qu'il avait un révolver, duquel il ferait usage à l'égard de tout les deux, si elle réfusait de le revoir. Ceci se passait environs deux mois avant le mariage. Ma sœur m'a dit que dans le dix jours, qui ont précédé le mariage précipité, Pierre lui avait renouvelé les mêmes menaces devant le refus de ma sœur de l'épouser.

Marcelle n'aimait plus Pierre, elle voulait rompre la liaison...

Pierre aurait pu exécuter ses menaces, et je ne vois pas com-

ment ma sœur aurait pu les esquiver. Elle n'avait personne à faire intervenir. Elle ne pouvait échapper à cette double controinte, que par la formalité du mariage... »

Sic, igitur, loquitur testis haec oculata ac in omnibus fide digna.

Nec satis; nam testis eadem, tempore absolute insuspecto, d.no Roberto Franco, quocum tunc sponsaliis ligabatur, omnia aperuit.

Quae dein d.nus Robertus in iudicio ita offert, prout adhuc in sua memoria servat, fontem suae cognitionis indicans, ita ut et ipse omni exceptione maior appareat. Et in primis deponit Robertus se, ante controversas nuptias, directe cognovisse Petrum, de quo ex propria scientia testatur: « était assez violent comme caractère ».

Deinde expresse affirmat, in hoc peculiariter attendendus, se nihil aliud directe percepisse, nisi angustias suae sponsae Henricae, trepidantis ob pericula, quae sorori Marcellae imminebant: « Je l'ai su par les confidences de sa sœur, parce qu'elle était ma fiancée; *sa sœur était très inquiète* » (p. 16, 8).

Pergit plene confirmans et violentiam physicam et violentiam moralem, qua Petrus in Marcellam renitentem insaeviit: quae quidem a metu se liberare non potuit, nisi matrimonium invisum, obtorto collo, acceptando.

Sed adhuc magis rerum probatio firmatur depositis Rev. P. Iosephi, sacerdotis nempe illius, qui, per ministerium verbi, actrici fidem restituit, vel, forte, prima vice donavit, ab ea factorum rationem ex integro audiens. Et istum Dei ministrum, ob dignitatem ac sinceritatem praeclarum, vi probandi, in casu, non destitutum Patres habuerunt. Nam, tempore quo Marcellam ipse auscultavit, de causa hac promovenda nemo adhuc cogitabat. Fuit praecise rev. P. Josephus, qui, ex narratione actricis, consultis etiam iureperitis, consilium praestitit adeundi forum Ecclesiae. Graviter ac fideliter sacerdos hic testatur: « Elle s'est mariée sous les graves menaces (ordinis, nempe, physici ac moralis, ut et contextu) de Pierre... Elle ne s'est mariée que pour échapper aux menaces » et hoc memorandum de actrice iudicium profert: « Elle m'a raconté son histoire matrimoniale et exprimé le desir de pouvoir régulariser sa situation. Elle me paraît *d'une bonne foi parfaite* ».

In quam sententiam — ut supra vidimus — plures ac nimis dignae personae ad amussim conveniunt: quod iubet ut non spernatur nec parvi pendatur.

Cuncta, igitur, bene cohaerent: aversio sponsae in sponsum, ante ac post matrimonium; minae graves ac iniustae, per quas sponsus aversionem frangere et superare nititur; effugium nullum; matrimoni invisi celebratio. Nil mirum quod secuti sint effectus, qui ex invitis nuptiis solent provenire: « Sitôt après le mariage — confitetur actrix — il y a eu infidélités » exinde, mulieris re-

sistentia ad coniugales amplexus, tandem eius fuga a domo maritali, et firma refutatio conciliationis a viro propositae.

Utique, verum est in depostione conventi verbum unum non deprehendi, quod aversionem mulieris prodat, vel coactionem, de qua agitur. At, prae oculis habito quod praecise conventus auctor minarum, in casu, exhibetur et probatur, et quidem talium, quae delictum tangunt ac summi dedecoris proferenti sunt, sufficere Domini edixerunt quod ex conventi iudiciali depostione nihil *certum* sumi queat, quod peremptorie thesim actricem evertat.

Sed nonnulla adhuc obiici possent, videlicet:

1) Credibilitati actricis, sororis Henricae, et huius mariti Roberti Franco, non proficere videretur id quod actrix ipsa retulit, nempe Robertum esse unicum testem praecipue, imo plene, de capite quaestionis informatum: « Il y eut entre nous des scènes brutales.

J'éprouvais alors pour lui une répulsion très nette. Mon beau-frere *était d'ailleurs au courant de cela*, mais *ma sœur n'a pas tout su* ».

Quod contradicitur, ut iam abunde expositum est, sive ab Henrica, quae directe se informatam exhibet de omnibus, sive a Roberto, qui capita quaestionis se a sponsa Henrica accepisse tradit.

Responderunt Patres haec posse et debere defectu memoriae explicari; ac per hoc bene in evidentiam poni defectum subornationis cuiusvis, aut collusionis et conspirationis. Nam unusquisque, ut patet, factorum dat rationem, prout memoriasuggerit ac conscientia imponit.

2) Animadvertitur etiam Henricam, quam vir Robertus et in hoc sequitur, de « contrainte morale », praeter quam de physica, in iudicio loqui. At, cum actrix expresse non deposuerit Petrum minas illas ordinis moralis protulisse, adhuc de testium credibilitate suspicio oriri posset, simulque tenendum esset quod timor, de quo est sermo, fuerit tantum « ab intrinseco ».

Sed non videtur peremptorie obstare quod actrix in iudicio non plene ac perfecte se expresserit, non memorans, dum de hoc timore in fine alterius examinis praesertim loquitur, minas a Petro recepisse.

Inadvertentia et omissio actricis vim depositionis sororis labefactare non potest. Quae cathegorice affirmat: « ... *devant moi*, il la menaça de dévoiler etc. », et de hoc statim ipsa sponso Roberto rationem reddidit, qui iudicialter rem confirmavit.

Ceterum, et rev. P. Josephus expresse refert: « *Il lui avait dit aussi*, il se connaissaient déjà depuis deux ans: « Je ferai du scandale auprès de tes parents », il n'avaient pas en ensemble une conduite irreprochable etc. »: quod, quidem rev. testis nonnisi ab

actrice apprehendere debuit, ac longe prius quam causae initium daretur.

3) Sed et dubitari posset an Petrus iniuste egerit, cum minas illas ordinis moralis protulit: nam *verum*, denique tandem, parentibus puellae revelandum proposuit, ut videlicet isti parentes filiam, viribus unitis, licite inducerent ad matrimonium, quod ipse peroptabat.

Ad quae, DD. Iudices adnotarunt quod revelatio talis facinoris, maxime pro puella, gravis diffamatio est. Cumque diffamatio sit crimen, consequitur et quid graviter illicitum graviterque iniustum haberi debere. In praesens, bene significat soror actricis Henrica quid, haec rescientes, genitores commisissent in filiam Marcellam. Sed, omissis etiam Henricae verbis, ex Marcellae ipsius depositione bene clarescit quam moleste ipsa tulerit hanc minam ordinis moralis.

Quibus in iure et in facto perpensis..., ad dubium propositum: « *Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate in casu* » [1].

ANDREAS JULLIEN, *Decanus*
ARCTURUS WYNEN
PETRUS MATTIOLI *Ponens*

Coram R. P. D. ARCTURO WYNEN, *Ponente*

ROMANA

Nullitatis Matrimonii

1. *In iure*. Impedimentum disparitatis cultus a can 1070, § 1, sic statuitur: « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa ». Quare hoc impedimentum, quod qua dirimens matrimonium est meri iuris ecclesiastici, exsistit solummodo inter personam catholicam, quae vel iam in Ecclesia catholica baptizata fuerit vel post baptismum in secta haeretica aut schismatica receptum ad Ecclesiam catholicam se converterit, et personam non baptizatam. Quid de validitate matrimonii tenendum sit, si post contractum coniugium oriatur dubium sive circa ipsam collationem baptismi sive circa validitatem baptismi recepti, can. 1070, § 2, sic declarat: « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non haptizatam ».

[1] *Sententia haec, a Turno sequenti confirmata, ad executionem transivit.*

2. « Ante Codicem in casu baptismi dubii, in ordine ad matrimonium contractum vel contrahendum, admittebatur principium: Baptismus dubius sive in dubio iuris sive in dubio facti in ordine ad matrimonium contractum vel contrahendum validus habendus est. Codex non admittit amplius praesumptionem pro valore baptismi in his casibus, sed solum admittit praesumptionem pro valore matrimonii et quidem restrictive ad casum matrimonii iam contracti, ut clare patet attente legenti relatam Codicis praescriptionem. Codex enim non dicit in casu baptismi dubii standum esse pro valore baptismi, ut ferebat ius anterius, sed pro valore matrimonii, quod importare potest quandoque iudicium contra ipsum valorem baptismi, ut si catholicus dubie baptizatus matrimonium contraxerit cum non baptizata muliere. In hoc casu matrimonium praesumendum esset validum et baptismus invalidus » (Conte a Coronata, *De Sacramentis*, vol. III, ed. alt., Taurini 1948, n. 348). Cfr. etiam sententiam *Taurinensem*, diei 16 februarii 1952, n. 8.

At bene notandum est dictam praesumptionem pro valore matrimonii superari posse, quia Codex, « statuens quomodo iudicandum sit de valore contracti matrimonii cui fortasse obstet disparitas cultus, a) *inducit praesumptionem* pro valore matrimonii, quae tamen b) *cedit veritati*, ita ut sit tantum praesumptio iuris » (Vermeersch, *Theol. Moral.*, ed. 4, Romae 1948, tom. III, n. 722, § 2).

Cum in causa praesenti agatur non de dubio iuris circa validitatem baptismi recepti, sed de dubio facti circa ipsam collationem baptismi, post contractum matrimonium orto, ideo validitas aut nullitas matrimonii dependet ab eo, utrum necne pars, de cuius baptismo dubitatur, reapse baptizata fuerit.

3. Iam quaeritur, quomodo collatio baptismi probanda sit. Eminet inter probationem per documenta publica, inscriptio baptismi in regestis paroeciae facta, sive in originali sive in exemplari authentico exhibita; eiusmodi documenta publica « fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur » (can. 1816). Si haberi nequit documentum publicum, recurri debet ad probationem per testes, « quae in quibuslibet causis admittitur » (can. 1754). Immo pro probando baptismo collato non valet can. 1791, § 1, iuxta quem « unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis »; nam can. 779 sanxit: « Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit ».

Difficilius quam *positivum* factum collati baptismi probare, est demonstrare factum *negativum* non recepti baptismi. Hac de

re Laurentius (*Instit. Iur. eccl.*, ed. 3, n. 790) proclamavit, defectum argumentorum positivorum sufficere ad probandum factum negativum recepti baptismi. « Certitudo vero — scripsit — de non collato baptismo tum etiam adest, si *nullum argumentum* pro collato baptismate affertur. Nullum autem argumentum pro baptismate adest et hinc ne praesumendus quidem est baptismus, cum pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes, quae baptismum respuit (sequuntur alia exempla quae causam praesentem non spectant) ». Sed magis placet modus loquendi a Cappello adhibitus, etsi is obiective idem dicat ac Laurentius. Scribit enim: « Interdum nonnisi *indiracte*, scl. *per praesumptiones*, huiusmodi probatio habetur. Plerumque indirecta probatione utendum est, ut constet de *facto negativo* baptismi non suscepti » (*De Sacramentis*, ed. 3, vol. III, n. 420).

4. Eiusmodi praesumptiones, ex quibus oritur indirecta probatio baptismi non recepti, ipsa S. Congragatio S. Officii die 1 augusti 1883 statuit respondendo ad plura quaesita ab Episcopo Savannen. proposita. Inter alia S. Officium approbavit hoc principium: « Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae baptismum respuit, hic non est praesumendus » (*C.I.C. Fontes*, vol. IV, n. 1083). A fortiori baptismus infantis non est praesumendus quando agitur de parentibus iudaicis. Eadem occasine S. Officium approbavit etiam hanc normam: « Si de consortis baptismo non constet, nec certum haberi queat testimonium, in eam propendere oportet sententiam de baptismi et matrimonii valore, cui favent *indicia et adiuncta* » (loc. cit.). Per se autem patet praecedere debere diligentem inquisitionem, antequam ad indirectam probationem per praesumptiones atque indicia et adiuncta efformandam recurri possit.

5. Quae principia de indirecta probatione baptismi non collati, per praesumptiones, indicia, adiuncta, vel per alias probationes semiplenas, sunt merae applicationes principii generalis de probatione alicuius facti negativi, de qua fuse tractant tum veteres Auctores, qui interpretati sunt libri II Decretalium tit. XIX *De probationibus* (v. g. Reiffenstuel in hunc titulum, n. 43 ss.; Schmalzgrueber, n. 33 ss.; Pichler, n. 5), tum recentiores Auctores, innixi iure antiquo a Codice Iuris Canonici non mutato (v. g. Lega, *Commentar. in iud. eccl.*, tom. II, p. 639 ss.). « Quod vero ad onus probandi — scribit Lega, loc. cit. — probationis *negationis* seu facti non exsistensis et ab eo cuius interest negati non dari, per se, clarum est; quia *non exsistentis* non sunt qualitates, et hinc non invocari possunt testes, non documenta, non alia argumenta probantia *directe* non exsistentiam facti... Sed *indirecte* habetur probatio per factorum probationes, quae conciliari non possunt cum

adversa assertione seu accusatione ». Ad rem legimus in una *Nullitatis matrimonii* diei 14 martii 1927, coram Parrillo (*S.R.R. Decis.*, vol. XIX, n. 13): « Cum versemur in probatione facti *negativi*,... nonnisi argumentis negativis uti valemus; quae si positivum et probabile dubium excludunt,... satis esse debent ad rem evincendam,... cum moralis certitudo, quae in iudice exigitur pro his negotiis terminandis, ea sit, quae *non impossibile*, *sed imprudens* reddit iudicium de opposito ». Denique notandum est Iudicem in adhibenda probatione indirecta per praesumptiones diligenter attendere debere ad praeceptum canonis 1828, qui sic sonat: « Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat ».

Romae, die 9 aprilis 1952.

Coram R. P. D. Ioanne M. Pinna, *Ponente*

P.

Nullitatis Matrimonii

(D. L.)

INCIDENTIS DE NOVI CAPITIS ADMISSIONE

DECRETUM

Die 15 nov. 1952

Viso recursu D.nae D. adversus decretum tribunalis V. diei 15 februarii 1952 quo reiicebatur novum caput in gradu appellationis ab actrice propositum;

Praemisso quod non prohibetur actor novam causam petendi in primo gradu introducere, dummodo, *nemine contradicente*, tribunal hanc admittat, praesertim cum agatur de causis connexis, « nisi legis praescriptum obstet » (can. 1567). Immo hisce in casibus « cum eiusmodi actiones instrinsece obiective cohaereant expedit eas unire, sive ut lites breviores efficiantur, sive ut vitentur plures res iudicatae quae logice secum ipsae confligant » (Roberti, *De processibus*, I, Romae 1941 p. 216).

Attendo quod in gradu appellationis obstare videtur praescriptum canonis 1891 prohibentis quominus admittatur « nova petendi causa, ne per modum quidem utilis *cumulationis;* ideo litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte ».

Attento quod haec prohibitio recte intelligenda est, quatenus nempe novum caput nequit apud tribunal appellationis qua tale proponi, ita ut de eodem decernatur in altero gradu, *primo omisso*. Limites enim obstant *absoluti*, ratione boni publici instituti: « secus iudex appellationis praetergrederetur limites suae competentiae determinatae ratione gradus seu competentiae absolutae, decernens de actione quae, in prima instantia, adhuc cognita non est a iudice inferiore » (LEGA-BARTOCCETTI, *Comm. in iudicia ecclesiastica*, II, 1939, pp. 1009-1010).

Ast tribunal appellationis admittere potest, *si velit*, novum caput a parte actrice propositum, nemine contradicente, illudque diiudicare non in secunda sed *in prima instantia*. Incompetens quidem esset ratione territorii vel contractus *sed relative* tantum. Atqui limites relativi competentiae sunt prorogabiles.

Attento quod id valet de quibusvis causis, matrimonialibus non exclusis: in hisce quoque potest actor, post sententiam primi gradus edicentem constare vel minus de matrimonii nullitate, novum proponere accusationis caput coram iudice appellationis, qui, si illud admittendum censeat, sententiam feret in secundo gradu de capite iam disceptato in prima instantia, atque valide liciteque, ob prorogatam competentiam, ius dicet in primo gradu super novo capite. Quod si egerit consultum erit oeconomiae et sollicitudini iudiciorum quae sarta tecta non servaretur si tribunal remitteret actorem, novum caput proponentem, ad iudicem competentem primae instantiae.

Id clare edicit art. 219 § 2 Instr. *Provida Mater*, minime contradicens canoni 1891 sed legem declarans dubiaque diluens in eius recta interpretatione exorta.

Tribunal appellationis *non tenetur* novum caput admittere sed id potest, *decreto collegii*, dummodo pars adversa vel defensor vinculi exceptionem fori declinatoriam non proposuerit. Defectus enim cuiusvis contradictionis prorogationem competentiae subaudit.

Nec dicatur S. R. Rotam non posse novum admittere caput citra commissionem Romani Pontificis: agitur enim de tribunali ordinario natura sua constituto pro recipiendis appellationibus (can. 1598 § 1)), quod in prima instantia iudicare non valet nisi ad normam can. 1557 § 2 vel citra Pontificiam Commisionem. Tribunalia vero dioecesana appellationis sunt etiam tribunalia primae instantiae in causis suae iurisdictionis. Praecise quatenus tribunalia primae instantiae habere possunt competentiam prorogatam causasque diiudicare quae per se agendae essent coram alio tribunali.

Obiici nequit causa quaedam Rhemen., c. Fidecicchi, Prot. n. 4651, in qua iudices *primi gradus* viderunt de duobus capitibus, quorum alterum « neque propositum fuerat in contestatione litis

neque postea introductum in decursu processus et consequenter nec defensum ab advocato vel impugnatum a vinculi defensore ».

Quod evenit etiam in secunda instantia. Impugnatio in casu merito facta non respicit novi capitis admissionem sed errorem in processu patratum.

Hisce omnibus in iure et in facto attentis, Infrascripti Patres, Auditores de turno, in Sede Tribunalis S. R. Rotae legitime coadunati;

Perlecto Memoriali Advocati F. C., patroni partis actricis;

Auditis Promotore iustitiae et vinculi Defensore

d e c r e v e r u n t

Tribunal appellationis V. *posse, si velit et nemo ex ius habentibus contradicat, admittere novum caput tamquam in primo gradu tractandum.*

Petrus Mattioli
Emmanuel Bonet
Ioannes M. Pinna, *Ponens*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE VITAE SOCIETATIS INSTITUTIS QUAE IN NUNTIO NATALICIO S. P. PII XII CONTINENTUR

Iterum Summus Pontifex, Magister atque Pater hominum societatem allocutus est; fidelissimis praesertim sed etiam omnibus hominibus bonae voluntatis, ut in nostrae aetatis difficillimis quaestionibus eos dirigeret verbis Christianae sapientiae in qua vox ab aeterno resonat.

Non solum Magister qui docet locutus est, sed etiam Pater qui toto corde et sollicito animo curam affert ut auxilium impetret hominibus qui nimis laborant et omnibus quibus tam difficile et lento gradu contingit ut problemata sua resolvant et ideo iacent.

Pius XII initium ab exploratione huiusmodi difficultatum et miseriarum facit. Audit maestum pauperum et eorum qui labore et inopia franguntur, quorum numerus a postremo bello confecto nondum decrevit, chorum ad se ascendere. Huc accedit ut in nonnullis nationibus vivendi sortes in peiorem partem mutentur cum in aliis in meliorem fiunt et novae summae necessitates apparent. Ceteroquin consilia innumera, animo et mente cogitata et in lucem allata ut remedium rebus tam infestis afferatur, saepe magis dubia se ostendunt et nobis sollicitudinem incutiunt quod heteroclita et secum repugnantia sunt.

Nihilominus est quaestio praecipua, magis magisque gravis: dico quaestionem de *institutis* quae nobis sequenda sunt cum talia consilia concipimus et ad effectum adducimus; quaestionem de *ratione* quae afferenda est in salutis opera quam pro humanitate facere volumus.

Hic cardo sermonis Domini Papae Pii XII vertitur et mandatum grave fit nostrae aetati, quod nobis accipiendum maximi pretii est et convertendum in usum societati rursus constituendae.

Operam dabimus ut legentibus rem significemus, et eam summatim exponemus, a capite repetentes per varios locos explanationis pertinentis ad rerum notionem huius mandati Pontificalis, quod est simul censorium et construens.

* * *

1) In primis Pius XII notat hominum imperitia demonstrata, qui cursum machinae societatis ab iis aedificatae impressum retinere non possunt, suadendum esse iis « ne salutem praecipue a constitutionum et operis technicis exspectent ».

Solum pro excelsis hominum virtutibus technicam artem utilem posse esse ad problemata resolvenda quae praesenti tempore iactantur, sed vanum esse putare eam posse ab orbe terrarum omnem indigentiam tollere. Papa Pius XII sperat fore ut huius recordentur homines « qui trans et citra Oceanum habitant ».

2) Quod ad modum qui nobis sequendus est ut hominibus auxilium feramus et eorum problemata resolvamus, Papa omnibus mandat ut Divinae Sapientiae statum sequantur qui, ut Christiana clarissima doctrina docet, hoc loco in verbis Papae resonans, est « causa exemplaris » hominum formae rei publicae.

Duabus notis insignitur operatio divina quae maxime efficit ut homines a peccati miseria subleventur: haec notae sunt: *legum generalium observantia*, quae mundum regunt et naturam hominum, in quos Gratia permanat non ad eversionem vel demolitionem sed ut sublevet et servet; relatio quam cum unoquoque constituit, *societas* scil. *ad singulos homines*, quorum casus inter se dissimillimi sunt et quos Deus tractat et componit « mutuo disponens immutabilem legis generalis vim cum singulorum necessitate ».

3) Sed praesenti tempore hominum iter oppositum videtur. Illi nec possunt neque sciunt in uno illam miram dualitatem conficere, nec generalis ordinis convenientiam conformare ad conditiones rerum certas, quae diversis casibus semper diversae sunt. Tum salus in aliquo sociali principio, theorice descripto, vel in naturae vitalis istinctus viribus esse videtur et, ne male cogitemus, in populorum et singulorum cordis impulsibus. Utrumque iter falsum, quorum alterum e quadam superstitione in potentia instituti quasi mirifici oritur, alterum procul videtur esse a Dei consiliis, qui Dominus est ordinis.

4) Summus Pontifex praecipue admonet de periculis *superstitionis instituti vel rerum dispositionis*, quae putentur radices certae salutis, velut si e dispositione subsidiariarum naturae condicionum, consilio quod in tuto collocet maximam et semper augentem potentiam in « bonorum effectione », possint omnibus oriri omnia bona: divitiae, securitas singulorum, pax. Haec est societatis sententia, quam « mechanicismum » appellamus, quae a nostrae aetatis technica provenit. Ea sententia, vult exprimi in maiore societatis vita, illud quod in ordine maximarum nostrae aetatis industriarum accidit, in quibus, regulis mature cogitatis omnis hominum rerumque opera ordinatur et conglobatur. Huiusmodi industriarum ordines nobis miri videntur, sed non est dicendum, immo vero negandum est, eos valere exemplaria ad nostrae aetatis vitae conformationem.

Sunt autem aliae rei publicae oeconomicae administrationis

vetustiores formae, quae semper benefice valuerunt ad societatis vitam, praesertim pro incremento praecipuorum institutorum; dico familiam, rem publicam, proprietatem et alia libero concursu constituta.

Summus Pontifex praesertim de parvis agricolarum vel artificum rebus conductis, quae afferunt maxima commoda, loquitur. Eadem res conducta magnae industriae nostrae aetatis bene valuit, sed nobis quaerendum num futurum sit ut prospere valeant ad societatis vitam homines qui nihil aliud probent ut administrationis formam nisi aliquod immane corpus ad bona « oeconomica » efficienda constitutum.

Sed nobis respondendum est hanc societatem contra Creatoris consilia esse, qui ita institutorum socialium virtutem ostendit, ut maximam singulis libertatem concedat, quare *personae* serviunt, quae vicissim aliis in societate se aperit.

Illud maxime in nostrae aetatis societate refert, quod « demon compositionis nimis mechanicae » (demone dell'organizzazione) invadit et superbe dominatur hominum in spiritum ita ut res publica apud plurimas gentes fiat machina maxima quae ad administrationem pertineat et omnem hominis vitam complectatur. Constituitur ita ordo rerum in quo viget maxime quod cuiusque proprium non est (dominio dell'impersonale), quod sensum communis boni apud singulorum conscientiam extinguit, et ideo res publica magis desinit esse moralis civium sodalitas. Homo interea societatis « obiectum » fit, quae societas nihil aliud est nisi aspera et dura virium constitutio, in qua homo certior fit se non posse personaliter praestare et vivere.

Manifesta monita Domini Papae apparent contra « *technicorum dominatum* », — ut aiunt, — quo fit ut nimia operum et hominum mechanica ordinatione humanus vitae sensus in plurimis laedatur.

5) Cteroquin Pontifex *effectus*, qui iam orti sunt ex hac multiplici contemptione hominum personae, monstrare potest.

Ante omnia, in tali societate, tristem rerum asperitatem miserorum, indigentium, eorum qui nihil agunt, monstrat.

Cum illi auxilium deposcunt, nostri temporis societas pro nihilo eos ducit, praesertim casum singulorum, sed omnes pro societatis condicionibus tractat et ordinem statuendum cogitat « ratione et via quae omnia complectetur et sine aliquo libertatis damno, homines et res ducet ad semper maiorem agendi vim, utens opera magis in dies exercenda progressus technicae artis ». Unde efficitur ut futura sit sua sponte omnibus salus.

Dominus Papa recusat ne credat hoc confugere ad futuram rationem, deflexionem cogitatam esse ab illis, qui auxilium afferre nolunt; sed notat scepticismum interea oriri pro talibus futuris

propositis, praesertim cum videtur esse orbis clausus in quo finis expetitus et agendi modus semper inter se insequuntur neque unquam consequuntur. Interea singuli qui egent expeditam quaestionem sui non vident! Optandus, verum, est maximus occupationis gradus, sed etiam curandum est ne gradus ille cum maximo vivendi genere, tristem exitum producat. Optanda ideo est etiam eius firmatas. Maxime vero necesse non confidere effundendi capacitate ad summum reditum promota, sed modus vivendi et occupationis gradus considerandi sunt non solum secundum quod conferunt ad effectionem bonorum quantitativam, sed prout exigit hominum dignitas, qui altiores res desiderant.

Papa igitur eos quibus est voluntas hominibus auxilium ferendi et populis, et medendi primo effectui detrahendi extra personam, hortatur ut velint in proposito susceptoque consilio, quod cardo est omnis « formulae » et rerum publicarum formae, perstare: id est quod habeant « *hominem super omnia* », etiam super artis technicae progressum, et ut in omnibus societatis formis vitent res componere extra vel contra personam, immo curent ut utantur iis ad coniunctiones maxime aptas hominibus.

Est, igitur, invitatio ut ordines se praebeant humanos, et ut instituatur ordo in quo vir sit verus rex.

6) Res cum ita sint nova hominum necessitudo erit inter singulos et populos, quam ob rem nimiae vivendi inaequalitates inter homines unius populi dilabentur, quas fecit publicorum fructuum administratio nostri temporis.

Ut haec mutua sponsio sit Dominus Papa exposcit magis quam externam constrictionem (ut fit apud rei publicae regimina quae « collectivistica » dicuntur) conscientiae persuasionem, quae hinc ita efficiat ut homines effusos sumptus vitent, illinc ut cives conditionis tenuioris quaerant prius necessarias res et utiles et postea etiam de parsimonia et de peculio reliqui cogitent.

Eadem mutua sponsio efficere debet ne homines loca in quibus agitur claudant, sed ut nova creentur, ut ad eum finem homines, qui pecunia utuntur, eam occupent, pro bono communi ut conscientia urget; et etiam ut ii qui iam operam in agendo dant, vitent ne cupide sua occupatione abutantur cum impediant quominus alii opus habeant, vel illis producant desidiam inertiamque; deinde ut publica auctoritas studeat nova agendi loca instituere, ubi privata auctoritas sedet desidiosa vel non sufficit, facilem efficiens omnibus modis occupationem iis qui eam quaerunt.

Munus mutuae sponsionis est etiam populis, quibus sibi invicem in progressu opitulandum, nimias et magnas inaequalitates vivendi inter ipsos tollendum et praesentes sortes, quae vero non apte inter se conveniunt, permutandum.

Tamen unquam hunc exitum ratione dispositioneque mecha-

nica consequemur, quod hominum societas machina non est, ne in vectigalium ceterorumque fructuum administratione quidem. Oportet autem naturale fulcrum premere, dico excellentiam et facultatem privati hominis, et populorum naturam propriam, e quibus semper proficiscendum ut perveniamus ad finem fructuum publicorum administrationis, ut firmetur continuum bonum explendum causa corporis incrementi, quod est etiam incrementum conditionum moralium, doctrinae, religionis.

Ad hanc rem persequendam valere possunt praesertim magnae regiones in quibus magis idoneae conditiones existunt.

7) Sed nostrae aetatis homines non solum rerum vectigaliumque difficultatibus cruciantur sed opprimuntur quod societas nullo loco habet personam, et ideo *conscientia intimo cruciatu damnatur.* Triumphus rerum constitutionis et quantitatis rationis efficit ut homines cruciantur praesertim pro duabus summis ubi curam gravissimam affert certamen inter conscientiam et disciplinam vigentem: dico quaestionem *de natis* quos custodire et ordine praestituto dirigere vellent, et quaestionem *migrationis* quae impeditur, quam ob rem nullo loco habetur « ius naturale hominum ut nemo impediatur quominus migret vel immigret ».

Etiam pro hac re omnia rigide aguntur, neque homines sic agentes cogitant se male facere contra vitae motum qui unquam finem habet, neque cogitant se gravissima problemata praebere conscientiis, quae sibi opprimi videntur gravi machina acriter movente quae nullo loco habet problemata quae singulatim et penitus pertinent ad morum vitam.

Verum est nonnullas regiones hominum multitudine abundare, sed medendi ratio e formula alicuius mechanicae exaequationis non oritur, quod naturae leges non subvertuntur, sed potius e conatu novae et melioris inter homines fraternitatis.

8) Conscientiae, aliis cruciatibus hodie affliguntur: exempli causa impositio parentibus educatorum pro liberis contra voluntatem et sententiam; aditus ad operis laborem sub conditione positus accessionis ad quamdam factionem vel corporatorum opificum collegium, velut si munus collegii non sit simpliciter « patrocinium artificis mercede conducti in nostri temporis societate quae facta est sine nomine et collectiva ».

Sunt magni pretii Pontificis verba adducta ad significandum est sine nomine et collectiva ».

« Ad quod consilium, enim, collegium adhibetur nisi ad cer-
« tam affirmationem hominem esse subiectum non obiectum in
« societatis coniunctione; nisi ut defendant virum a nulla ratione
« collectiva, sine nomine, rerum possessorum; nisi ut rapraesen-
« tent artificis personam coram illos qui eum ducunt ut purum
« instrumentum ad operandum aliquo pretio? »

Sed si defensio rerum talium communitati sine nomine datur, quae agit maximis institutionibus monopolii, opifex inveniet denuo sua iura laedi et suam conscientiam opprimi, quod capi sibi videtur immani societatis machina.

Id quidem verum est seu in illa parte orbis terrarum quae « libera » solet appellari, in qua belli causa antea et sic dictae « guerra fredda » postea, hominum libertas minor facta est, seu in altera parte orbis in qua libertas sublata omnino est.

Ecclesia prima iniuriam sustinet et maxime dolet de hoc. Videt plurimas Christianas gentes, quae olim floruerunt, opprimi, nec scimus de his quid futurum sit cum veniet « finis tribulationum ». Sunt autem frequentia facinora fortia et digna memoratu, quamvis sint nonnullae defectiones hominum debilitate; in illis regionibus christiani strenue dimicant de catholicae fidei defensione.

9) Summus Pontifex postremo directius de immani turba pauperum, de singulis et familiis, agit, qui miserrime vivunt, sine mercede quae sufficiat, sine victu necessario, sine domibus, sine liberalioribus alimentis et medicinis suis liberis. Multi pauperes sunt causa desidiae, alii causa imminutionis monetae quae eos ad nihilum vel indigentiam redegit.

Ipse maximo cum dolore et animi anxietate de his omnibus cogitat, praesertim propter hoc quod possit ex his rebus proficisci. « Animus noster sollicitudine afficitur et, possumus dicere, mortali angore opprimitur ». At huic tristi spectaculo opponit monita et exempla Jesus, Eius opus Redemptoris, Qui quaerit animas sed etiam corpora sanat, Eius promulgationem legis iustitiae et caritatis, Eius damnationem eorum qui duri sunt corde. Et notat: « Verum ille non quaesivit num, et quatenus, inopia, quam ante « oculos habebat, conferret culpam in rei publicae constitutionem et fructuum administrationis suae aetatis.

« Non ita fecit quod hoc nihil curaret. At contra, Ille est Do- « minus mundi et eius ordinis. Sed ut propria ipsius personaliter « fuit opera Eius Salvatoris, ita voluit aliis miseriis obviam ire « suo amore agente singulatim ad singulos. Exemplum Jesus ho- « die, sicut semper, omnibus stricte sequendum est ».

10) Pius XII igitur, postquam commonuit de opera sua in annis sui Pontificatus, cum ex caritate egisset munifice, omnium caritatem implorat ut miseri adiuventur. Meliores caritatis institutiones non sufficirent. Oportet singulorum actio. Et heu! « Tentatio magna « aetatis quae appellatur socialis, in qua — praeter Ecclesiam — « res publica, civitates at aliae publicae societates ad tot societatis « problemata se conferunt, est homines, etiam eos qui Deum esse « credunt, cum pauper portas pulsat, eum mittere simpliciter ad « publicas societates existimantes proprium officium functos esse

« tributis datis illis institutis pensitando vectigalia vel sponte donando ». Verum etiam hoc est adiumentum: sed locus datur privatae actioni quae similis sit illi Dei, qui Ipse venit ut suum auxilium ferret. Pontifex igitur concludit omnes implorans ut omnibus privatum contributum dent.

* * *

Diligenter persequentes nuntium Pii Papae XII, quam magna et vera sint monita in eo collecta notavimus, et simul quam sint propria veritati nostri temporis societatis. Loci praecipui huius doctrinae sunt: affirmatio primatus personae, quam ob rem homo denuo in media societatis vita ponitur; vindicatio hominum virtutum super quantitatis rationem et super technicae institutionem; consequens ordinatio omnium fructuum administrationis necessitatibus vitae moralis et spiritualis hominis; necessitas immutabilis societatis se *humanam* praebendi, sive hominibus favendi quam maxime in negotiis et in rei publicae rebus; hominum *conscientiae* praestantia quae non potest opprimi ulla « technica »; mutua necessitudo hominum quae vinculo societatis coniungenda est singulis et populis, quae fiet consociata opera benigna ut res suas omnes augeant; conscientiae reverentia et usus mutuae sponsionis pro duabus quaestionibus iunctis et acerbis: dico natos et migrationem; munus privatae actionis sive pecuniae occupatione et novis operibus, sive exercendo Christianam caritatem ut res suas pauperes augeant: rei publicae accedendum est ad hoc, actione additicia et explanante.

Praesertim principium prestantiae hominum super « technicam » et ordinationem rei oeconomicae et vindicatio conscientiae, firmamentum sunt quod in nuntio Natalicio ponit Pius XII, ut ordo ille societatis innovetur quo homines vellent mederi maximis miseriis nostrae aetatis.

Iterum iam S. Petri cathedra verba veritatis, iustitiae et sapientiae dixit. Est rei publicae auctoritatum ea audire et ad effectum adducere. Est catholicorum studiosorum ea diu multumque meditari et de societate studia augere, quod iter usque adhuc longum est.

P. Raymundus Spiazzi O. P.
Prof. in Pont. Ath. Angelico de Urbe

DE PLURALITATE PAROCHORUM

Ansam ad hunc articulum conscribendum dedit praesens condicio cuiusdam parochiae in Italia, non obstante can. 460 § 2, huius tenoris: « In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio ».

Condicio haec est: ex S. Visitatione a. 1825 haec elementa resultant: in Ecclesia parochiali, cui nomen Praepositura, est translatum beneficium cum cura animarum sub titulo et invocatione S. Pauli olim existens in propria rurali Ecclesia Curata occasione bellorum civilium inter Asculanos, Ripanos et Firmanos destructa, et inde auctoritate ordinaria hic translatum cum omnibus oneribus, nempe coadiuvandi Praepositum in cura animarum, ideo conferri solet per concursum ».

Altaris S. Georgii M. cum cura. « Adest in hoc Altari translatum et unitum Beneficium cum cura animarum sub titulo et invocatione S. Georgii M., qd. antiquitus existebat in propria Ecclesia, quam asserunt exstitisse independenter intra Oppidum destructum et penitus dirutum occasione bellorum Civilium ».

« Ecclesiae manutentionis onus inest parochis ita tamen ut praepositus pro medietate teneatur, alii vero duo pro altera medietate. Sic enim emolumenta et redditus, praeter funda singulis, ut supra, assignata dividuntur.

Cura quoque animarum exercetur ab ipsis hac tamen lege, ut praepositus semper et quandorumque onera paroechialia sustinere teneatur principaliter et independenter cum pleno iure praesidendi et praecedendi, sacramenta ministrandi, custodiendi libros et sigillum, benedicendi domos urbanas, functiones solemniores atque extraordinarias perficiendi. Curati vero seu ut tales praebendati eundem coadiuvare in animarum cura, administratione sacramentorum sunt obligati alternatim, prout quoque in Doctrina Christiana pueros instruere, domos benedicere rurales in die sabati sancti vel aliis diebus eo impedito, evangelium populo explanare in Missis Par. libus, aliaque obire quae muneri suo sunt ad... Huiusmodi autem Curati inter se sunt aequalis dignitatis et iurisdictionis et solum alter praecedit alteri iuxta antianitatem in Curae possesione ».

Praepositus tenet absolute *unam solam* parochiam cum uno *solo parocho.* Argumenta sunt sequentia:

a) in memoriali ex a. circa 1600 historia dictae parochiae est conscripta; ex qua historia clare elucet « che in questo territorio vi è stata sempre una sola Chiesa Parrocchiale, una sola Parrocchia e un solo Parroco che l'amministrava, sebbene vi fossero altre

due chiese officiate da altri due sacerdoti subalterni che sotto la dipendenza del primo amministravano i Sacramenti ».

b) il possesso canonico dei Curati, l'atto che dimostra la giurisdizione parrocchiale, non è *more parrochorum.*

c) il fatto che i Concurati hanno l'applicazione della Messa *pro populo* alternativamente col Prevosto (un quarto ciascun Curato e metà il Prevosto) e che sono obbligati alle spese di cura di anime nella stessa proporzione, non dimostra l'esistenza di giurisdizione, ma solo giustifica il godimento del beneficio che ciascuno ha.

d) il territorio che ciascuno dei Curati dice di avere, si limita unicamente alla benedizione delle case nel sabato santo, esclusa qualsiasi altra giurisdizione compresa quella dei matrimoni.

Praepositus concludit: « L'esistenza di una sola Parrocchia in territorio di X mi sembra più che provata. Se ci poteva essere qualche dubbio prima del Codice di D. C., dopo la promulgazione di questo, non c'è più motivo da discutere: in eadem paroecia unus tantum debet esse parochus... reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

Non so spiegarmi il fatto che la posizione giuridica di questa Parrocchia, che è stata sempre fonte di equivoci e malintesi (i documenti esistenti in archivio lo possono provare) non sia stata mai aggiornata al nuovo Codice.

E' necessario che si faccia *quam primum*, con chiarezza e in modo definitivo ».

Praepositus insuper notandum censet:

« Tanto la Prepositura che le così dette Cure di S. Giorgio e di S. Paolo si conferiscono per concorso e per Bolle Apostoliche, ma solo il Preposto prende possesso come Parroco e li Curati come semplici Beneficiati all'altare di S. Giorgio e di S. Paolo.

Li beni una volta erano indivisi e il Preposto percepiva la metà della rendita e l'altra metà li due Concurati; al presente poi rimangono spartiti.

Le funzioni si fanno tutte dal solo Preposto. Da esso si tengono tutti i Registri Parrocchiali e la Chiave dell'Archivio. Li Concurati possono battezzare, ma non possono dare licenza di battezzare nè di fare la Comunione specialmente pasquale, spettando al solo Preposto con i Matrimonii ed ogni altra cosa che è parrocchiale; così i Bollettini della Pasqua che si stampano a solo nome del Preposto, Rettore della Parrocchia, così le Fedi e tutt'altro insomma.

In mancanza del Preposto è Vice Preposto il Curato di S. Giorgio, così dai Libri; ma nelle funzioni precede sempre a l'altro Curato il più anziano di possesso. Ma il Sigillo Parrocchiale che è sola sempre privativa del Preposto, in di lui mancanza si appartiene al Curato di S. Giorgio ».

Unus autem ex hisce duobus Curatis sequentes animadversiones proferendas esse censuit:

a) Ex documentis publicis resultat: « esistono in X tre Cure di cui una sola col titolo di Prepositura e due coi rispettivi titoli di S. Paolo e S. Giorgio aventi territorio proprio, titolo, e riconoscimento civile ».

b) La data precisa della fondazione della Cura di S. Paolo si perde nei secoli (forse risale al 1500). Detta Cura aveva una chiesa propria in contrada S. Paolo, aveva ed ha un territorio in cui aveva il diritto di decima e conserva il diritto di benedire le case nel sabato santo, e vi esercitava il ministero parrocchiale come risulta dai Decreti dei Visitatori Apostolici di quella epoca.

c) E' troppo chiaro che il sacerdote addetto ad una cura di anime sia parroco e che, se i successori presero possesso come parroci nel proprio altare nella Chiesa Prepositurale, a maggior ragione lo fecero quando avevano una chiesa propria.

d) Siamo nel 1700 circa. Eventi bellici distrussero la chiesa insieme a quella di S. Giorgio (ambedue rurali); il Vescovo allora, più che ridurli a semplici benefici, concesse che avessero nella chiesa prepositurale un altare proprio. Da allora il Curato di S. Paolo ebbe il suo altare che tiene tuttora.

Sarebbe stata buona cosa se avessero lasciate le Cure nella pienezza dei loro diritti considerando i titolari come altaristi: invece fu premura dell'autorità ecclesiastica che queste Cure, insieme a quella del Preposto, formassero un tutto organico da regolarsi con leggi speciali.

Leggi speciali vennero subito e si chiamarono *Costituzioni* emanate con consenso di Roma anche perchè vi è la riduzione delle Messe pro populo che il Vescovo non può fare senza Roma.

e) Il nuovo Codice non contempla questi casi che nella antichità erano frequenti. Andato in vigore il nuovo Codice e man mano che queste parrocchie sono rimaste vacanti, le autorità ecclesiastiche si sono trovate nel bivio, o riconoscere la forza della antiche costituzioni, oppure uniformare dette parrocchie al nuovo Codice; cosa facile durante la vacanza dei benefici.

Hanno preferito riconoscere valide le antiche costituzioni, lasciando che i nuovi investiti, per conoscere i loro diritti e doveri, più che al codice si rivolgessero a dette costituzioni.

Infatti, resasi vacante la parrocchia di S. Paolo, si fece subito il concorso ed a me fu dato il possesso canonico ne l'anno successivo presentandomi la cura come era nei tempi antichi e come è ancora oggi. Lo stesso dicasi della prepositura rimasta vacante, alla quale fu subito nominato il titolare che prese possesso nelle iden-

tiche mie condizioni storiche e giuridiche; così pure della cura di S. Giorgio.

Messi così a posto i rispettivi titolari si dovrebbe procedere di comune accordo, lavorando ognuno nella rispettiva zona di lavoro assegnata senza perdere tempo in critiche inconcludenti circa l'operato dei nostri superiori dal momento che non sta a noi variare le cose.

f) Non essendo il Preposto autonomo ma in collegamento con i Parroci, noi abbiamo il diritto di vivere la vita della parrocchia e sarebbe un errore (come ho detto sopra) considerarci come estranei; ciò sta succedendo da quattro anni e si vuole che finisca colla comprensione reciproca e vicendevole rispetto, in modo che tutti noi, operai della vigna del Signore, possiamo far fruttificare la zona assegnata dalla Provvidenza con profitto della anima ».

Alter Curatus sub iisdem quasi condicionibus fungitur suo munere pastorali; unde ad Votum Curati S. Pauli haud multa addenda habet.

Ad illustrandam hanc speciosam quaestionem de pluralitate parochorum subministramus

I. brevem filum historicum;
II. normas S.S.C.C.R.R.
III. Iurisprudentiam;
IV. doctrinam auctorum
1) ante Codicem;
2) post Codicem.
V. Rationes pro unitate curae animarum.

I. Historia [1]

Ex natura rei resultat axioma canonicum: unus solus sacerdos exercet curam plenam animarum in determinato territorio; clare can 460 § 2. hoc axioma tenet. Sed tale principium non fuit semper observatum; causae huius inobservantiae fuerunt diversae; in urbibus successive et lentim parochiae erectae sunt, cum definito territorio; primis saeculis episcopus fuit unicus parochus suae dioeceseos, qui adiuvante suo clero exercuit in civitate et ruri curam animarum; ruri per visitatores, circumcursatores, circuitores. Unde in ipsa civitate episcopali per multa saecula ecclesia cathedralis remansit unica ecclesia parochialis pro tota civitate et adjacentibus districtibus ruralibus, si excipias magnas urbes, uti Romam [2]. Di-

[1] cfr. Hinschius, System des Katholischen Kirchenrechts, vol. II. p. 305 sg.

[2] in civitate Melphicten. (Molfetta prov. di Bari) tota dioecesis usque ad a. 1663 unica ecclesia parochiali constabat. (A. A. S. vol. XI. 284).

visio civitatis Episcopalis in plures parochias in fine saeculi X. aut saec. XI. originem duxisse videtur. Evolutio in parochias territorialiter circumscriptas sat lentim progressa est, ut probat Tridentinum S. 24. cap. 13. de ref. Unde sacerdotes curam animarum *cumulative* exercuerunt. In quibusdam civitatibus v. g. Bononien. Florentina, Parmensi, usque ad recentiora tempora saltem ius baptismale pro tota civitate ecclesiae cathedrali reservatum fuit [3].

Alia ratia pluralitatis parochorum haec erat: quaedam Capitula tum cathedralia tum collegialia aut per canonicos *in turno* aut per plures vicarios curam animarum exercuerunt. S. C. C. 27. febr. 1869 in Caietana Deputationis Oeconomi Curati talem casum commemorat; veteri in more institutoque Fundanae Ecclesiae positum fuisse videtur, ut animarum cura penes Capitulum habita esset, et a singulis ex ipso Canonicis actu exerceretur. Qua de re cum alter alterius ope fretus quisque parvi id suo referri existimaret, et omnes, uti adsolet, nihil agerent, eo deventum est, ut avitae Religionis rudimenta fere oblita forent eiusque auxilia opportune deficerent. Unde Episcopus Comparinius tunc temporis Fundanae Ecclesiae praepositus medelam attulit. Anno 1598 ex venia Summi Pontificis publico exarato Instrumento, erexit et deputavit in dicta Cathedrali ecclesia, de consensu et beneplacito praedictorum Canonicorum, Decanatum, tertiam dignitatem dicti Capituli, qui Decanus sit et esse debeat Curatus et curam animarum exercere tam parochianorum Cathedralis, quam aliarum parochiarum unitarum et omnia sacramenta ministrare [4]. De cura animarum a Capitulis exercita confer Schaefer, Pfarrkirche und Stift im deutschen Mittelalter; Stutz, Kirchenrechtliche Abhandlungen, Heft 3; Kuenstle, die deutsche Pfarrei, l. c. Heft 20.

Tertio: quidam patroni ecclesiarum contulerunt ecclesiam parochialem pluribus sacerdotibus *in solidum;* talem abusum damnavit v. g. Concilium Londinen. a. 1237 cap. 12 [5]. Quod plurium parochorum systema etiam post Tridentinum in quibusdam locis retentum est; nam dictum Concilium non obligavit Episcopos *absolute* ad removendas nominatas pluralitates parochorum. Textus sic

---

[3] cf. declarationem authenticam ad can. 774 1 (A. A. S. vol. 14 p. 662). In civitate Tiburtina (Tivoli) usque ad annum 1906 ex septem Ecclesiis parochialibus sola ecclesia cathedralis fontem baptismalem habuit (Thesaurus S. C. C. vol. 165 p. 835-847; 28. jul. 1906); Decisio continet copiosam materiam de hac quaestione; cf. S. C. C. in Caietana 28 febr. 1903. erectionis S. Fontis (l. c. vol. 162 p. 212-230); 23. jan. 1904 (l. c. vol. 163 p. 5-22 cum multis decisionibus); Caesaraugustana 27 jul. 1908 (l. c. vol. 167 p. 443-448; sanctuarium « del Pilar »).

[4] Thesaurus S. C. C. vol. 128 p. 99-109; Acta Sanctae Sedis vol. IV. p. 423-428. cf. S. C. C. 23 jan. et 24 sept. 1864. (Acta S. Sedis vol. IV. p. 401-423).

[5] Mansi, Amplissima Collectio, vol. 23. 453.

sonat: « In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliore modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus ». Cf. 9 Sess. C. 14. de ref. [6].

II. Normae S.S.C.C.R.R.

1. *Pluralitas parochorum* seu sacerdotum exercentium *in solidum* curam animarum *approbatur* aut saltem *toleratur.*

S.C.C. 29 aug. 1744. in Romana Iurium parochialium sequentem normam dedit [7]. Species facti haec fuit: « Controversia orta est inter Josephum Carmignanum *Vicarium perpetuum* Basilicae D. Mariae Transtyberim, et Federicum Scamardam *Coadjutorem perpetuum* eiusdem Basilicae; dum enim Carmignanus Scamardae imperare cupit, eumque, uti inferiorem, in ordinem redigere vult, dum contra Scamarda Carmignanum parem tantum agnoscit, non vero Dignitate; et Iuribus altiorem, ac potentiorem, jurgia orta sunt, dissidia, tumultus, et animorum contentiones, quae si averruncari, atque avelli debent e cordibus hominum Sanctissimi Divinae Legis Praeceptis atque institutis, eo amplius abigi, atque abesse deberent longissime a Sacerdotibus, Sacrisque Ministris ». Deinde textus notat: « Haec habet Clementina (= Clem. VIII a. 1594) Constitutio, in qua huius rei caput est. Post hanc Constitutionem ad nostra haec tempora, et Vicarium perpetuum et Coadjutorem curam animarum promiscue exercuisse, semperque habitos fuisse uti aequaliter *Curatos* Amplissimi S. R. E. Cardinales Titularis Ecclesiae, et Urbis Vicarius in eorum Epistolis conveniunt, quod etiam liquido constat ex iis, quae ex facto proponuntur. Quae vero Iuris sunt e libellis postulatorum Eminentissimi Patres cognoscere poterunt, ut ea, quae sacro eorum pectori inest Iurisprudentia, septem, quae sequuntur dubia, definire possint.

---

[6] cap. 18 Sess. 24 de ref.: « etiamsi cura ecclesiae (parochialis) per unum *vel plures* administratur ».

[7] Thesaurus S. C. C. vol. 13 p. 118-120; cf. Ghilardi, Canones et Decreta Conc. Tridentini, Declarationes et Resolutiones, ed. novissima 1869 p. 544 ad 6.

I. An cura actualis Basilicae S. Mariae Transtyberim resideat poenes solum Vicarium perpetuum, sive potius illa resideat promiscue et cumulative penes Coadiutorem perpetuum, *et quatenus negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam.*

II. An eidem Coadjutori perpetuo liceat exercere actus Parochiales Iure proprio, et independenter a dicto Vicario perpetuo, et signanter assistere matrimoniis, baptizare, et illorum partitas in libris adnotare, et ex illis quascumque fides extrahere, nec non canere, seu legere Missam praesente Cadavere, administrare Sacramenta Sanctissimae Eucharistiae praesertim tempore Paschali, et alios quoscumque actus ad Curae exercitium spectantes, sive potius omnia gerere debeat cum scientia, ordine et dependentia dicti Vicarii perpetui.

III. An in omnibus supradictis actibus veniat idem Vicarius praeferendus in casu etc.

IV. An Vicarius perpetuus requisitus a Parochianis degentibus tam intra, quam extra Urbem in vineis teneatur per se ipsum ad illos quocumque tempore accedere, eisque Sacramenta administrare, seu potius hoc onus ad sui libitum refundere valeat in Coadjutorem perpetuum, vel in casu impedimenti tantum.

V. An Missae in diebus festis applicandae pro populo veniant altarnatim per eosdem celebrandae, sive potius applicari debeant a solo Vicario perpetuo in Casu etc.

VI. An dicto Coadjutori perpetuo liceat tam in subscriptionibus, quam in ceteris actibus adhibere nomen Curati, vel Curati Coadjutoris dictae Basilicae, seu potius uti tantum liceat nomine Coadjutoris, seu Coadjutoris Vicarii perpetui, vel Coadjutoris personalis dicti Vicarii.

VII. An liceat d. Vicario perpetuo tam in subscriptionibus, quam in aliis actibus ultra titulum Vicarii perpetui superaddere nomen Parochi d. Basilicae, sive potius uti tantum debeat Titulo Vicarii perpetui in Casu etc.

Ad I. Negative quoad primam partem Affirmative quoad secundam. Ad II. Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam. Ad III. IV. et V. ad mentem, et mens est quod exercitium curae dividatur, ita ut alternatim per hebdomadas unus exerceat intra, alius extra Urbem incipiendo a Vicario perpetuo, et eadem alternativa locum habeat in applicatione Missae pro populo. Ad VI. Coadjutorem uti debere nomine Coadjutoris perpetui tantum. Ad VII. Vicarium uti debere nomine Vicarii perpetui tantum ». Die 18 jun. et 9. julii 1757 eadem S. C. C. in Tiburtina parochialis

---

[8] l. c. vol. 26 p. 49 et 53.

haec habet: « Una est in Castro *Madama* Tyburtinae Dioeceseos Parochia, una Parochialis Ecclesia, in qua tamen non unus, sed duo Parochi sunt, diviso per hebdomadas curae Animarum exercitio. Perpetuae hinc inter eos dissensiones, jurgia, lites: hinc maximo salutis aeternae dispendio negligentia in administrartione curae. Praesto est uterque Parochus, ubi de lucro agitur; nullus occurrit, ubi onus est subeundum, neque Populus parem utrique Parocho praestat obedientiam, neque par est in Populum utriusque Parochi affectus: saepe Baptismata, saepe Matrimonia in aliam hebdomadam, non sine infantium, aut pudicitiae periculo transferuntur, ut unus, aut alter Parochus emolumenta percipiat. Ut his morbis medicinam pararet Episcopus, cum, transacto mense Decembri, alter ex his Parochis obiisset, statuit duos Parochos ad unum dumtaxat redigere, unita portione vacantis portioni superstitis, dato onere perpetuo assumendi Cappellanum ab Episcopis approbandum, qui eum adjuvet in cura animarum.

Consiliis Episcopi restitit Populus illius Castri contendens Parochianorum numero satis non esse Parochum, parumque esse gratum, qui nunc solus est. Preces igitur tam Populus, quam Episcopus obtulerunt Sacratissimo Principi nostro, Ille ut nihil mutaretur; Hic, ut exequeretur eius propositum Sacri etiam huius Tribunalis auctoritate. Data E.mis Patribus harum precum cognitione, auditus fuit Episcopus, qui non utilem tantum, sed etiam necessariam censet reductionem numeri Parochorum, ut tollantur discordiae, malaque omnia, utque consulatur numeroso populo, cui duo praesto erunt Sacerdotes, Parochus nempe, et Cappellanus, cum nunc unus sit, diviso per hebdomadas exercitio inter duos, Eadem, quae Episcopus, habet nunc in suo libello Promotor Fiscalis, addens Sacrorum Canonum, et nuperam Tridentini dispositionem, qua vetitum est duos esse Parochos in una Parochia; neque ad rem pertinere exempla quarumdam Parochialium, in quibus plures curam Animarum exerceant, cum hic agatur de *Iure formali* Parochiae, quod apud plures esse non potest, diversum si, ut in contrariis exemplis, ageretur de *exercitio* Curae, quod inter plures dividi potest, cum apud alium sit jus formale Parochiae, ut est in Capitulis, et Collegiis; nullam denique habendam esse rationem vetustissimae consuetudinis, cum corruptela, et abusus dici debeat, quando Sacrorum Canonum dispositioni adversatur. Haec Promotor. A Populo nihil accepimus. Unum est Causae Caput:

An sit locus reductioni duorum Parochorum unius eiusdemque Parochialis Castri Madamae ad unum solum Parochum qui onus habeat retinendi Cappellanum Coadjutorem in cura Animarum ab Episcopo approbandum in casu etc.

Dilata ad sequentem ».

Tyburtina Parochialis, cuius Dubium est.

« An sit locus reductioni duorum Parochorum unius eiusdemque Parochialis Castri Madamae ad unum solum Parochum, qui onus habeat retinendi Cappellanum coadjutorem in cura animarum ab Episcopo approbandum in casu etc.

Negative, et Episcopus incumbat exerceri dietim curam animarum per utrumque sublata alternativa, et ad mentem, et mens est — ut fiat massa communis ex incertis emolumentis aequaliter dividen ».

Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes p. 637 nota 37. hanc decisionem S. C. C. nominat « plene singularem ». Nam in Sess. 18. junii 1757 clare enuntiatum fuit, quod in casu agebatur *de jure formali parochiae*, quod apud plures esse non potest. Quamvis insuper Episcopus, ut abusibus et morbis medicinam pararet, statuerat post mortem alterius parochi, ut duos parochos ad unum reduceret, tamen S. C. C. timens resistentiam Castri Madama die 9. jul. negative respondit ad dubium: « an sit locus reductionis duorum parochorum ad unum solum ».

2. *Pluralitas parochorum reprobatur.*

Celeberrima est Causa Cremonen. Iurium parochialium 26. jul. 1879[9]. Status quaestionis hic fuit: « Pluribus abhinc saeculis insignis ecclesia parochialis sanctorum martyrum Firmi et Rustici oppidi Caravagii Cremonensis dioecesis a quatuor parochis vulgo *portionariis* regebatur, qui curam animarum *in solidum* exercebant, non tamen sine jurgiis ac litibus, quae saepe saepius in aperta scandala desinebant. In collegiatam isthac ecclesia erecta anno 1617 quatuor parochi curati canonici nuncupati sunt. Labente vero anno 1750 antiquior parochus archipresbyteri nomine subscriptus invenitur, quod ad eius successores nemine contradicente migravit: atque ita archipresbyter antiquior parochus, curati canonici vero reliqui parochi appellati sunt.

Anno autem 1804 res immutatae fuerunt ex facto atque opera civilis auctoritatis, quae in vim cuiusdam litterae circularis diei 7 maii statuit, ut in posterum unus tantum esset parochus, reliqui vero tres, parocho, titulo *vicariorum* assumpto, adjutorio essent. Imo tribus hisce vicariis paulo post alii duo adjecti fuerunt beneficiati ex cessata collegiata in eadem paroeciali ecclesia erecta superstites, quae pariter ipsamet civili potestate auctorante, suppressa remansit. Etsi plane ignoretur utrum huiusmodi innovationi a gu-

---

[9] Thesaurus S. C. C. vol. 138 p. 353-365: Sententia cum ampla introductione habetur etiam in « Analecta Iuris Pontificii »: vol. 18 col. 1091-1102.

bernio peractae consensus seu legitima potestatis ecclesiasticae adprobatio postea accesserit; tamen comperti facti esse refert episcopus, quod « dal 1804 fino al presente la parrocchia di Caravaggio di fatto e nella pubblica opinione ebbe sempre un solo parroco... benchè i vicari hanno esercitato ed esercitano ancora in varia misura alcuni atti che spettano all'autorità parrocchiale ». Utrum vero ex tacito archipresbyteri consensu an potius ex longi temporis consuetudinis effectu id ipsis obvenerit, dignosci non valet, cum omnia in tenebris delitescant. Illud unum certum est quod missae pro populo ac praedicationis onus archipresbyter et tres vicarii ut antea ad invicem sustulere; onera atque emolumenta omnia aequali portione diviserunt, atque in vacatione praedictae alicuius vicariae spiritualis oeconomus ut in paroeciis deputari solet.

Res sic se habebant, cum duo ex praefatis vicariis, occasione arrepta a quadam resolutione ab archipresbytero edita, qua imminuta eorum potestas magis magisque coercebatur praecipue circa adsistentiam ad matrimonia, sub mense februario anni 1877 ad episcopum supplici oblato libello confugerunt, petentes « di essere redintegrati nel pieno possesso della loro dignità e podestà parrocchiale, quale esisteva prima del 1804, perchè l'atto di soppressione non fu che atto di violenza dell'autorità civile ».

Episcopus ut ea qua par erat prudentia causam dirimeret rationum momenta ab utraque parte prolata librare aggressus est, sed eam gravibus difficultatibus involutam esse ratus, a quovis proferendo iudicio abstinuit et satius duxit quaestionem ad S. V. Ordinem transmittere. Dum autem fatetur actorum argumenta esse « abbastanza validi » enixe efflagitat, ut ex eo nihil innovetur quod per tam diuturnum temporis spatium constitutum reperitur, attentis praesertim quod innovationes jurgia et lites provocarent, necnon assiduam parerent confusionem: « Considerate tutte queste cose (sic epistolium concludit episcopus), ed altre, che la Sacra Congregazione comprenderà nella sua sapienza, oso proporre e pregare affinchè usando essa della sua autorità, sani ciò che forse in origine non fu canonico, e dichiari uno solo essere il parroco, o almeno prescriva che le cose continuino come stanno al presente ».

Hisce habitis precibus die 18 junii 1877 ipsimet episcopo ceu de more, mandavi ut in scriptis tum parochum, tum vicarios audiret. Quod cum actum sit, hodie mane causam disceptandam proposui sub dubii formula in calce huius libelli descripta relatis prius rationum monumentis, quae a partibus producta fuerunt ». Primo vicarii suas rationes protulerunt scribentes: Episcopus nubem pro Junone captavit. Post allegatas a vicariis rationes in suum favorem Sententia tenet: « Ex altera vero parte rationum momenta a vicariis adducta parvi facienda esse videntur, quippe quae in sacro-

rum canonum dispositionibus obicem reperiunt, quae pastorum seu parochorum pluralitatem utpote monstruosam atque ipsimet rectae rationi contrariam aperte condemnant ac ab Ecclesia prorsus eliminandam esse praecipiunt »; post allegata argumenta ex iure Decretalium et Concilio Tridentino Sententia allegat auctores et concludit: « Et re quidem vera praefata parochorum pluralitas praeterquam quod auctoritatis conceptui et naturae sese opponat; nonnulla eaque gravia incommoda secumferre nullo modo ambigi posse videtur. Sane ea est fomes et seminarium litium et discordiarum, quas inter plures hosce parochos cum maximo animarum discrimine oriri jugiter episcopi lamentantur. Ea insuper in Causa est, ut, cum oves pluribus pastoribus obedientiam prestare obstrictae sint, nullius vocem audiant. Quae omnia quanta cura quantaque sollicitudine eliminanda sint, nemo est qui non videat. Qua de re S. H. C. quotiescumque ad huiusmodi quaestiones dirimendas appellata fuit, ad tramitem juris usque adhuc expositi jugiter sententiam suam protulit, seu plurium jurisdictionem in exercenda cura ita cohibuit, ut ab uno, tamquam a capite dependentiam recognoscerent, nullo habito respectu neque ad constitutiones capitulares, neque ad consuetudinem eamque immemorabilem; neque ad quaevis alia iura, quae in contrarium allegabantur ceu videre est in *Hortana* jurium paroch. 14 aprilis 1821, et praesertim in *Brixien.* jurium parochialium diei 24 julii 1875 et in *Aretina.* jurium paroch. 11 decembris 1875 ». S. C. C. Dubium sic formavit [10]: « An archipresbyter et tres vicarii aequali modo curam et iurisdictionem exercere debeant etiam quoad matrimonia; seu potius archipresbytero tantum exclusive competant in casu ».

S. Congregatio Concilii rescribendum censuit: « Negative in omnibus ad primam partem. Vicarii autem ius habent, et obligationem curam animarum subsidiariam exercendi. Die 26 julii 1879 ».

Analecta Iuris Pontificii [11] copiosam materiam collegerunt circa « dipendance des vicaires envers les curés dans l'exercice du ministère ». Pro Causa praesenti haec excerpenda opportune videntur: in Ripana Iurium parochialium de 1. et 15 dec. 1725 [12]. Agebatur de ecclesia parochiali S. Nicolai Terrae Aquavivae. Ex unde-

---

[10] Citatur in Decreto Tiburtina 28 jun. et 9 jul. 1757; Analecta l. c. 1096 loco 28 jun. erronee habent 25. martii; Brixien. 24. jul. 1875; Analecta erronee 14 jul.; (Thesaurus S. C. C. vol. 134 p. 571-584); Aretina 11. dec. 1875 (l. c. p. 174-194: « an archipresbyter et sex canonici de massa aequali modo iurisdictionem et animarum curam exercere debeant »; p. 781-790; p. 861-861: « curam habitualem esse penes Capitulum, et sex canonicos esse concuratos dependenter quoad exercitium ab archipresbitero »).

[11] Cinquome Série 970-985.

[12] Thesaurus vol. 3 p. 237 et 242.

cim dubiis primum hoc fuit: an cura animarum tam habitualis quam actualis in Ecclesia parochiali S. Nicolai Terrae Aquavivae spectet privative ad Praepositum ». Responsum fuit: « curam habitualem et actualem esse penes praepositum, et exercitium curae esse penes eundem Praepositum et Beneficiatum ».

In ecclesia collegiata Sublacensi vi Bullae Pii VI. de a. 1791 duo sacerdotes instituti sunt parochi; textus dicit: « vere et proprie parochi, et animarum pastores sint et censeantur », sc. praepositus, unica dignitas in Capitulo et primicerius [13].

III. Iurisprudentia

1. In favorem pluralitatis.

S. R. R. in Mediolanen. 3. jun. 1678 [14] has statuit normas: parochi plures eiusdem Ecclesiae esse possunt, ad quas una simul totale ministerium pertineat (n. 2); parochi ubi sunt plures unius Ecclesiae, non omnes possunt esse sponsi, sed solum repraesentare unum sponsum et unum parochum. (n. 3); parochi plures, licet non omnes possint esse Rectores actu, habitu tamen tales denominari non prohibetur. (n. 4); Ecclesiam unum solum decet habere sponsum, sicuti una uxor plurium virorum consortium abhorret; (n. 5); parochi plures per modum unius Collegii, unum corpus,

---

[13] Analecta Iuris Pontificii, cinquième Série, 978 n. 142 S. C. C. 17. mart. 1917 (A. A. S. vol. 9 p. 343 ssq.) in C. Mandelen. curae animarum haec ad rem nostram notat: « Iam ab immemorabili, in oppido vulgo Cantalupo Sabino, prius dioecesi Suburbicariae Sabinensi, dein vero ab anno 1841 dioecesi Mandelensi subiecto, *unica* exstabat, sicut et nunc exstat, paroecia et paroecialis ecclesia sub titulo S. Blasii. Verum animarum cura dicti oppidi, quod etiam nunc mille homines vix complectitur, pari auctoritate ac iurisdictione exercebatur independenter et per alternas hebdomadas, ne ipsa quidem excepta Missae applicatione *pro populo*, a duobus rectoribus curatis cum proprio ac distincto beneficio, quorum unum sub titulo S. Blasii, alterum vero sub titulo S. Mariae in caelum assumptae.

Ex hac autem promiscua ac cumulativa, licet alterna, iurisdictione in unum eumdemque populum, atque ex paroecialium officiorum ac munerum exercitio in una eademque ecclesia, non levia incommoda suborta sunt, ad quae praecavenda Cardinalis Brancatius, tunc temporis Sabinensis Episcopus, occasionem nactus vacationis beneficii curati S. Mariae assumptae, decreto diei 1 novembris 1667 in sacra visitatione edito, ad formam Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 13, *de reform.* curam animarum in eodem oppido ab uno tantum parocho seu titulari beneficii S. Blasii exercendam in posterum statuit, eidemque alterum beneficiarium S. Mariae in vicarium perpetuum ac coadiutorem constituit. Reliquit tamen utrique beneficiario antiquos proprii beneficii reditus, ac proventus, exceptis tantummodo incertis emolumentis, quorum duas tertias partes parocho et alteram vicario attribuit.

[14] Decisiones S. R. R. Recentiores dec. 225 P. 19 tom. I.

licet ex pluribus personis constitutum repraesentantis conservant unitatem et unicitatem parochialitatis ecclesiae (n. 6); personae quamvis sint plures, unus tamen est Curatus, quando omnes habentur loco unius (n. 7). Agebatur de ecclesia S. Babylae. « De jure non repugnat ecclesiam subesse pluribus independentibus sub diversis respectibus » (n. 30).

2. In favorem unitatis.

a) S. R. R. in C. Messinen. Iurisdictionis 1. mart. 1610 n. 5 pronuntiat exioma: « in una ecclesia unus debet esse sacerdos, sponsus et rector, qui curam habeat » [15].

b) S. R. R. in Narnien. Divisionis Parochialium 6 febr. 1662 [16] tenet principium: mulier non potest uno eodemque tempore duobus viris se desponsare. Parochi bini in eadem ecclesia parochiali principaliter praeesse non possunt.

c) S. R. R. in eadem Novarien. 16 mart. 1665 n. 5: « parochi duo in una parochia esse non possunt » [17].

d) In eadem Novarien. 4. mart. 1667 n. 1: « monstruosum est in jure, quod duo sunt parochi in una et eadem parochia »; n. 12: « non est enim tolerabile, quod parochiani pluribus pastoribus obediant et quod una eadem ecclesia sit sponsa duorum in solidum »; argumentum habetur in n. 2 [18].

e) Die 13. jun. 1668 iterum occurrit Novarien. Summarium sonat: « ecclesiam Dei uxorem et sponsam Christi non scortum dicit Textus in cap. sicut 21. qu. 2. Ideoque monstruosum est in jure, quod duo sint parochi in una eademque parochia, sicuti duo sponsi unius eiusdemque uxoris esse prohibentur »; n. 16 « Episcopus non potest in solidum duos parochos constituere neque duas ecclesias in una eademque terminatione » [19].

f) Die 10 maii 1669 iterum disceptatur Causa Novarien; prout in matrimonio carnali solus maritus suae uxoris gubernium habet, ita et in matrimonio spirituali solus parochus ecclesiae suae sponsae curam debet habere »; (n. 4) « quod corpus unum duo capita habeat, monstruosum videtur ». (n. 5) [20].

---

[15] l. c. P. III. dec. 258 n. 5.

[16] l. c. P. 13 dec. 397 ad 10 et 11.

[17] l. c. P. 14. dec. 284.

[18] l. c. P. 15 dec. 39; decisio. n. 1. habet: c. in quibus 7. qu. 1; legendum erit: c. in apibus; c. 41. C. VII. qu. 1; porro habet: cap. sicut qu. 2. ibi; agitur de cap. 4. C. 21. qu. 2.

[19] l. c. dec. 281.

[20] l. c. vol. 16 dec. 90; n. 11 asseritur: parochiam unam plures personae etiam in solidum administrare possunt, ubi ius formale parochialitatis penes tertium resideat v. g. Collegium, Capitulum vel Episcopum.

g) S. R. R. in C. Vicen. 13 maii 1675 statuit axiomata: mulier una non potest duos vel plures sponsos habere; corpus unum duo retinere capita monstruosum est; ecclesia una non potest duos vel plures habere parochos [21].

IV. Doctrina Doctorum

1) ante Codicem.

A nonnullis Canonistis praxis statuendi plures parochos in una parochia declarata est uti illicita.

Quam Sententiam tenent:

Reiffenstuel, Ius canonicum universum [22]; ipse notat: ut ecclesia vocari possit parochialis, quattuor elementa requiruntur; tertio requiritur, ut possessor talis beneficii curam animarum suo nomine et non alieno exerceat. Et quarto, ut solus suo nomine illud regat; nam una ecclesia non nisi unius sacerdotis esse debet. Sicut ut unum corpus nequit habere duo capita; alioquin foret monstruosum. Ut recentiorem allegem: Wernz, Ius Decretalium [23], scribit: « Bouix l. c. p. 180 sq. et Hinschius l. c. t. II. p. 305 sq. sane probant *absolute* posse *uni parochiae* non tantum *unum*, sed *complures parochos praeesse;* at talem praxim *iuri* communi esse *conformem* ex decisione particulari S. C. C. 9. Jul. 1757. et consuetudinibus singularibus magis toleratis quam approbatis (cfr. Act. S. Sed. vol. IV. p. 402. 423.; Anal. iur. pont. a. 1861. p. 970. 978.) concludenter non demonstrarunt. Cfr. c. 14. X. de off. iud. deleg. I. 31. iunct. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 13. de ref. et Scherer l. c p. 637. Quare multo minus Episcopus talem praxim adeo singularem et a disciplina vigentem alienam *denuo* introducere potest, imo potius secundum mentem Ecclesiae est, si huiusmodi monstruositates auferuntur ». Engel, Collegium universi Iuris canonici [24]: unus tantum in una ecclesia potest esse parochus, non plures ». Santi-Leitner [25].

---

[21] l. c. vol. 18 tom. 2. dec. 616 n. 3. 4. 5.

[22] lib. III. tit. 5 n. 30; auctor citat Gonzalez, Barbosa, Chokier; cf. Hinschius l. c. p. 305 nota 6; qui insuper nominat Card. de Luca. Analecta Iuris Pontificii v. 18. 1100 addunt Pichler; Augustine, Code of Canon Law, ad can. 460 2. nominat etiam Engel III. 29 n. 12: Scherer l. c. qui loquitur de abusu; usus contrarius repugnat conceptui parochiae.

[23] Ius Decretalium tom. II. n. 821. II. g. nota 15.

[24] lib. III. tit. 29. n. 12.

[25] Praelectiones j. c. lib. III. tit. 29 n. 6.

2) post Codicem auctores tenentes doctrinam Codicis.

Commemorasse sufficiat Augustine, Code of Canon Law ad can. 460 § 2. Claeys Bouuaert - Simenon, Manuale I. C. ad can. 460 § 2; Wernz-Vidal, de Personis n. 720; Naz, Traité de Droit canonique, tome premier p. 518; Coronata 2 Institutiones I. C. vol. I. p. 578 n. 478. Notanda sunt, quae habet Epitome I. C. ed. 7 vol. I. n. 544 p. 406: « prohibetur pluralitas parochorum qui stricte *comulativi* sint, i. e. qui *simul* actualem animarum curam exerceant. Etsi quidam parochos quoque qui per turnum, v. g. Hebdomadarium, simul eandem paroeciam regant, excludi sentiunt (Cocchi, Commentarium III, p. 386) id neque a textu c. 460 neque e responso Comm. I. C., certo eruitur. Isti enim parochài non sunt stricte *cumulativi* (Resp. C. I. C. ad. 3.); neque *promiscuitatem* parochorum inducunt (cfr. Benedict. XIV. C. Ad militantis, 30 mart. 1742). Ita sentiunt canonistae quidam romani optimae notae. - Praxis tamen S. C. C. ab hoc instituto prorsus abhorret. Tam stricta iuris communis prohibitio hic primum invenitur. Etsi enim Tridentinum, S. XXIV., c. 13 de ref., et multa Concilia particularia contrariam praxim damnaverant, in paucis tamen casibus multiplicitas parochorum, praesertim in Capitulis, concessa erat ».

V. Rationes pro unitate curae animarum

In textibus allegatis iam plures rationes eaeque graves indicatae sunt; unde paucas addere sufficiat. In c. 14. X. I. 31. Innoc. III. censet *quasi monstrum* esse, si una eademque civitas sive diocesis diversos habet pontifices, tamquam unum corpus diversa capita. Sunt auctores, qui idem axioma applicant parochis; cf. c. 15. X. III. 5° c. 41. C. VII. qu. 1. demonstrat in una ecclesia duos praelatos esse non posse. c. 4. C. XXI. qu. 2: una ecclesia duobus sacerdotibus dividi non potest; nam ecclesia est uxor vel sponsa sacerdotis. Concilium Londinense [26] a. 1237 conset: diabolo suggerente non uni tantum una datur ecclesia, sed pluribus, praetextu plurium patronorum, ut sint plura capita in eodem corpore quasi monstrum.

Concilium Provinc. IV. Mediolanen. 1576 P. II. de parochis et parochialibus iuribus et officiis statuit: « qua in ecclesia duo pluresve parochi in animarum cura gerenda constituti sunt, cum ex parochialibus vel portionibus seu functionibus, quas praestare debent, saepe inter eos rixae, contentiones et dissidua et spiritualis populis damna existunt, indeque populis offensionum exempla scandalaque afferentur, Episcopus, ut huic rei a parochiali cura

---

[26] Mansi, Conciliorum Collectio vol. 23. 453 cap. 12. cf. Concilium apud Campinacum cap. 36. 1. c. 495; Concilium Palentinen. cap. 10. 1. c. vol. 25 706.

alienae et parochorum disciplinae indigne occurrat, certos parochialis viciniae limites pro illorum numero, aedibus, aut viis perpetuo distinguat; quos ita distinctos in curam eorum unicuique pro limitum distinctione tradat, ita ut intra suos quisque fines parochialem curam gerat » [27].

CONCLUSIO

Enumeratis difficultatibus ex pluralitate in eadem parochia parochorum obvenientibus can. 460 § 2. finem ponere studuit. Exorta nova difficultate proposita sunt sequentia quattuor Dubie [28]:

I) Utrum can. 460 § 2 applicetur dumtaxat ad paroecias erigendas post promulgationem Codicis an etiam ad paroecias iam erectas. Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

II) Utrum idem canonis praescriptum applicetur etiam paroeciis in quibus pluralitas parochorum inducta est non consuetudine aut privilegio, sed legitimo statuto. Et quatenus affirmative:

III) Utrum iura iam quaesita parochis, ut aiunt, proportionariis seu cumulativis, integra maneant tum quod spiritualia, tum quoad temporalia. Et quatenus negative ad primam partem, affermative ad secundam:

IV) Utrum cura animarum principalis et unica tribuenda sit parocho qui praeeminentiam honoris habeat prae aliis, an vero antiquiori possessione.

Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos die 14 jul. 1922 respondit: « Ad primum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad secundum: Affirmative.

Ad tertium et quartum: Provisum in praecedentibus; pro applicatione vero canonis ad hos casus particulares recurrendum esse ad S. Congreg. Concilii ».

G. Oesterle O. S. B.

---

[27] Acta Ecclesiae Mediolanen., tom. I. p. 134.

[28] A. A. S. vol. XIV. p. 527. Periodica de re morali et canonica, vol. XI. p. 168; « verba Codicis exceptionem, de quibus fiebant quaestiones, excludebant. Practica tamen manet difficultas definiendi quisnam ex pluribus parochi officium servare, quisnam idem dimittere debeat. Quod cum aliter in alio casu dirimendum sit, Commissio generalem regulam approbare noluit, sed rem S. C. Concilii prudenter remisit ». Utrum Ius Pontificium vol. II. p. 86 sg. declarationem authenticam rite interpretatum fuerit, dubitandum videtur. Contrarium Auctor tenet in « Commentaria minora » lib. II. tom. III. p. 106 sg. ad can. 460 § 2: « legitimum statutum hic legislator irremisibiliter subvertit; tanti momenti visa est publicae utilitati unicitas parochorum ». In « Ius Pontificium » l. c. p. 87 legis: « legitimum statutum... Codex reservat ».

LEGITIMATIO PROLIS SOLA DISPONSATIONE QUIN SEQUATUR MATRIMONIUM (c. 1051)

Rita, catholica, matrimonium contraxit cum Reginaldo, nauta, etiam catholico. Non contraxerunt coram Ecclesia sed civiliter tantum, quia Reginaldus civilis divortii sententia a sua legitima uxore, quacum in facie Ecclesiae legitime contraxit, est separatus ideoque impedimento vinculi arcetur a contrahendo cum Rita. Insuper Rita et Reginaldus sunt consanguinei in tertio gradu. Paulatim coniuges a fide et religione omnino alienantur. Sic evenit ut post mortem uxoris Reginaldi nihil fecerint ad obtinendam convalidationem matrimonii. Ex matrimonio duo nati sunt filii, quorum maior nunc decem, minor septem annos est natus.

Aliquo die filius maior, a Rita missus, adit parochum et cum lacrimis narrat matrem graviter aegrotare, ita ut medicus timeat eam esse morituram. Parochus secumfert S. Oleum et statim cum puero se confert ad domum aegrotae, cuius statum miserrimum optime novit. Blandis verbis eam alloquitur et hortatur ad poenitentiam et in Deo fiduciam tali modo, ut Rita sentiat sinceram sacerdotis compassionem et amorem pro anima sua. Mota hac bonitate et timore divinae iustitiae mulier manifestat sinceram voluntatem se cum Deo conciliandi. Ad maritum quod attinet, narrat eum esse in regionibus longinquis cum navi, quae non revertetur in patria nisi post octo menses.

Parochus ope telephonii a medico certitudinem obtinet mulierem versari in gravissimo periculo et certissime esse ea ipsa nocte aut crastina die morituram. Ad normam can. 1019 § 2 interrogat Ritam de aliquibus impedimentis et audit ipsam et Reginaldum esse consanguineos. Matrimonium nunc convalidari nequit. Nam invalidum est ob impedimentum *publicum* (in casu duplex) ideoque ad convalidationem requiritur consensus renovatio ab utraque parte praestanda (can. 1035, § 1). Neque recurri potest ad sanationem in radice; nam etiamsi non deesset tempus, matrimonium invalidum est ob impedimentum *iuris naturalis* (impedimentum vinculi) et in hoc casu Ecclesia non sanat in radice (can. 1139 § 2). Rebus sic stantibus parochus petit a Rita utrum parata sit ad convalidandum matrimonium suum coram Ecclesia si forsitan convalescat et Reginaldus reversus fuerit et ad subscribendas litteras, a parocho praeparandas, quibus declarat se velle ut post eius mortem pueri catholice educentur et ad scholas mittantur catho-

licas. His peractis parochus cogitans de filiis legitimandis petit quando filii nati sint et audit filium maiorem natum esse die 20 Maii 1941, minorem die 28 Junii 1944.

Uxor Reginaldi defuncta est die 10 Februarii 1941. Parochus Ritam certiorem reddit quod praeprimis ei nunc concessurus est dispensationem super impedimento consanguinitatis, qua filii legitimantur. Deinde eam ad confessionem praeparat et sincere contritam a peccatis absolvit. Domo rediens in libro matrimoniorum adnotat se dedisse Ritae et Reginaldo dispensationem ab impedimento consanguinitatis, potestate quam habet vi canonis 1044, qua dispensatione vi canonis 1051 filii sunt legitimati. Rediens praebet Ritae S. Viaticum et extremam unctionem. Mane, hora 7, assistit Ritae, quae placide animam suam reddit misericordi Creatori.

Quid dicendum de omnibus quae parochus fecit?

Parochum habuisse potestatem dispensandi ad normam can. 1044 nulli dubio obnoxium est. Etiam omnia quae fecit ad consulendum conscientiae Ritae moribundae, optime sunt facta. Quaestio potius moveri potest de concessione dispensationis personis, quae practice certo numquam erunt coniuges legitimi, propter mortem mulieris mox secuturam et de legitimatione prolis.

Canon 1051 haec habet: « per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria sive... conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex eis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega ». Dispensatio a parocho concessa reapse est dispensatio super impedimento dirimente. Insuper data est ex potestate ordinaria seu ipso iure adnexa officio parochi. (c. 197 § 2; c. 1044). Haec potestas sane exerceri nequit nisi casus exceptionalis seu periculum mortis verificetur. Sed hoc non impedit ne potestas sit ordinaria. Vocari potest « *extraordinaria* », non autem « *delegata* ».

De *validitate* dispensationis concessae non dubitari licet. Sed quaerere possumus utrum parocho *licitum* fuerit hanc dispensationem concedere? Nam dispensatio super impedimento natura sua ordinatur ad matrimonium contrahendum aut convalidandum. Parochus autem moraliter certus erat, matrimonium numquam esse secuturum. Attamen, iustificari potest dispensationis concessio, si dispensatio super impedimento natura sua ordinatur quidem ad matrimonium contrahendum vel convalidandum, sed non *exclusive* ad hunc finem. Hoc haberetur si sive natura rei sive saltem ex legislatoris voluntate dispensatio etiam ad aliquod aliud bonum sit ordinata, quod ea attingi potest independenter a celebratione vel convalidatione matrimonii.

Revera dispensatio in impedimento dirimente videtur esse ordinata ad legitimationem prolis, quam causat (excepta prole adulterina vel sacrilega) independenter a celebratione vel convalidatione matrimonii. In interpretando canone 1051 canonistae non sunt concordes.

Praeprimis quaestio dirimenda esse videtur utrum canon 1051 legitimationem adnexerit soli dispensationi an matrimonio, quod post huiusmodi dispensationem concessam celebratur vel convalidatur. A. v. utrum factum iuridicum, cui adnexa est legitimatio prolis tamquam effectus iuridicus sit dispensationis concessio an matrimonium subsequens. Nobis cum pluribus canonistis tenendum videtur canonem statuere, quod prolis legitimatur ipsa sola dispensatione concessa. Rationes nostrae sunt:

1. Ipsa verba canonis « *per dispensationem...* conceditur quoque ».

2. Alia verba eiusdem canonis, scilicet: « legitimatio prolis, si qua ex iis, cum quibus dispensatur, iam nata *aut concepta* fuerit ». Si prolis legitimatio causaretur matrimonio quod sequitur ad dispensationis concessionem, inutiliter haberentur verba: « aut concepta ». Proles momento dispensationis adhuc *non nata* etiam independenter a lege canone 1051 contenta legitimaretur, imo (plus quam legitimaretur), nasceretur legitima, utpote ex valido matrimonio (can. 1114). Si e contra legitimatio sit effectus solius dispensationis concessionis, verba « aut concepta » plenum habent valorem. Efficiunt enim ut proles momento dispensationis iam concepta sed nondum nata, fiat legitimata, etiamsi matrimonium, puta mortis causa, non sequeretur. Horum verborum adiunctione demonstratur canonem 1051 continere ius, iam ante Codicem a multis canonistis admissum, scilicet quod proles etiam legitimatur, etsi matrimonium non fuerit celebratum, saltem mortis causa. Adducendo hanc canonistarum doctrinam iam alludimus ad tertiam rationem.

3. Iam ante codicem plures canonistae tenebant sententiam quae docet clausula legitimationem prolis concedente in rescripto dispensationis pontificiae legitimari prolem, *etiamsi matrimonium non fuerit celebratum aut convalidatum.*

Deinde dirimenda est alia quaestio, scilicet utrum dispensatio data ad normam can. 1051 causet legitimationem prolis indiscriminatim pro omnibus casibus, in quibus non sequitur matrimonium, an solummodo pro casibus in quibus matrimonium non sequitur *propter aliquas rationes speciales.* Plures canonistae docent legitimationem haberi saltem si *causa mortis supervenientis* matrimonium celebrari aut convalidari nequeat. Alii legitimationem extendunt ad omnes casus, quibus matrimonium non fuerit

celebratum vel convalidatum *bona fide;* sed ad hos casus effectus restringunt. (Cappello. *De Matrim.* n. 291; Aertnys-Damen. *Theol. Mor.* II, n. 877; Visser, in *De Katholiek* 1918. Vol. 154, p. 258). Alii nullum excipiunt casum docentes legitimationem semper adnexam esse ipsi dispensationis concessioni. Nobis haec tertia sententia videtur admittenda.

Ad discussionem praenotemus oportet quod actus seu factum iuridicum, cui canon 1051 adnectit legitimationem prolis natae vel conceptae, est *dispensationis concessio.* Legitimatio non dependet a matrimonii celebratione vel convalidatione, quae post dispensationem concessam fit. Secus fieri non posset ut saltem in aliquibus casibus (mors superveniens; omissio bona fide) legitimatio haberetur *absque celebratione.* Si vero hoc constat, admitti necessario debet quod legitimatio sequitur ex *qualibet* concessione, independenter a causa qua matrimonium non sequitur; admitti debet quod etiam sequitur legitimatio, si matrimonium omittatur voluntarie et malitia partium. Fieri nequit ut effectus iuridicus lege adnexus alicui facto dependeat ab alio facto futuro contingenti. Supponamus quod Titius et Caia hodie petant et obtineant dispensationem in impedimento dirimente et quod sincere velint contrahere. Tunc proles nata legitimatur. Deinde mutant voluntatem, et quamvis possint, non contrahunt. Quid iuris? Ii, qui restringunt legitimationem prolis ad casus, in quibus bona fide matrimonium omittitur, nihil aliud possunt respondere quam quod tunc proles iam legitimata iterum cessat esse legitimata. Sed hoc videtur res in iure inaudita! Argumentum ex praxi Datariae ante Codicem vigenti fallit. Nam in hac praxi agitur de legitimatione concessa *actu speciali* in rescripto dato pro casu particulari. Legitimatio haec non est effectus iuridicus *lege generali facto* (dispensationis concessioni) adnexus, sed est gratia actu superioris expresse in casu particulari. In tali casu superior potest pro hac concreta concessione conditiones statuere, sub quibus gratia conceditur et a quibus impletis gratiae concessio dependet. Potest statuere (explicite vel implicite, stylo curiae): conceditur, 1°) dispensatio impedimenti dirimentis; 2°) prolis natae legitimatio dummodo parentes non voluntarie (mala fide) omittant celebrationem aut convalidationem. In tali concessione proles legitimatur quando aut matrimonium reapse celebratur aut causa alia (e. a. morte) omissionem mala fide reddit impossibilem. Hodie autem, proprie mutatione iuris canone 1051 inducta, hoc non amplius valet. Sub iure Codicis (can. 1051) legitimatio prolis *vi legis generalis* aut sequitur ex ipsa dispensatione et tunc sequitur ex *qualibet* dispensatione independenter a factis quae sequuntur, aut non sequitur ex ipsa dispensatione et tunc ex *nulla* dispensatione, sed in quolibet casu ex *matrimonio* reapse secuto.

Tunc omissio matrimonii, quacumque ex causa, etiam mortis causa et bona fide, impedit legitimationem prolis.

Sententiam inter omnes largiorem amplectentes tamquam illam, quae sola satisfacit exigentiis rectae legum interpretationis, non negamus id, quod plures auctores cum AERTNYS-DAMEN (II, n. 877, nota 2) notant: « legitimatio prolis conceditur *intuitu matrimonii* ». Sed ex hoc non sequitur id, quod aliarum sententiarum fautores docent. Ex hoc aut sequitur quod legitimatio *numquam* causatur nisi matrimonium reapse sequatur et quod *numquam* licitum esse potest causare dispensationis concessione legitimationem prolis si certissime matrimonium sequi nequeat (puta: morte superveniente antequam altera pars erit praesens), aut hoc non sequitur. Sed quidquid est, ex hoc fine legis sequi nequit id, quod sententiarum a nobis reiectarum propugnatores tenent, scilicet quod in pluribus casibus, in quibus matrimonium certe non est secuturum quamvis praeter partium voluntatem, legitimatio causatur et eam causare est licitum; in aliis autem casibus non. Ratio allata ex fine concessionis militat aut contra omnes casus aut contra nullum eorum.

Attamen, ex thesi: « legitimatio conceditur intuitu matrimonii » aliquid eruere debemus in ordine ad applicationem canonis 1051. Finis hic statutus personis qui exercent facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus ad effectum de quo in canone 1051, sive sint Ordinarii loci sive parochi et alii (de quibus in c. 1044-1045) praebet normam prudenter procedendi in usu huius facultatis. *Validitas* dispensationis concessae et legitimationis prolis non dependet a matrimonio reapse subsecuto aut omisso; neque a voluntate partium circa futuram celebrationem vel convalidationem. Ut autem *licite* agant debent cum prudentia et delectu uti facultate dispensandi. Hoc secumfert ut, sicut natura rei et finis legis positivae requirere videntur, non concedant dispensationem exclusive ad legitimandam prolem casu quo genitores possint celebrare (convalidare) matrimonium, sed reapse hoc non facient *malitia* vel *alia causa arbitraria et non iusta*.

Sic haberi videtur canonis 1051 recta interpretatio. Canon adnectit legitimationem prolis ipsi dispensationi super impedimento dirimente, independenter a matrimonio secuturo. Potestas dispensandi etiam licite exercetur propter solam legitimationem prolis. Canon non est mera extensio iuris veteris, qua simpliciter legitimatio prolis extenditur ad casus ad quos prius non extendebatur (praxis Datariae). Sed canon continet *aliud ius* (quamvis aliqualiter simile). Nunc habetur lex *generalis*, quo modo *generali* legitimatio prolis connectitur cum dispensatione. Cum hac connexione *vi legis generalis* statuta componi nequit, ut legitimatio in aliquibus

casibus dependeat a facto futuro contingenti, scilicet a matrimonii voluntaria omissione. Haec est ratio qua canon loquitur modo generali et non continet verba « nisi partes mala fide postea non contrahant » vel aliquid huiusmodi. Legislator optime novit de hac restrictione fuisse sermonem in doctrina canonistarum tempore codificationis. Et tamen hanc restrictionem omisit. Hic valere videtur: « quae legislator voluit dixit, quae noluit omisit ». Semper tamen legislator exoptat ut personae, quibus potestas implicite legitimandi prolem competit, cum prudentia ea utantur, ratione habita cum fine et natura concessionis [1].

In casu proposito Parochus optime egit concedendo Ritae dispensationem in impedimento consanguinitatis, utens potestate habita vi can. 1044, ut saltem filii essent legitimati, quamvis matrimonii convalidatio Ritae morte certe mox secutura impediretur.

Sed quaeri adhuc potest, utrum uterque filius sit hac dispensatione vere legitimatus. De filio minore nulla datur ratio dubitandi. Sed de filio maiore res non est obvia. Dicit enim canon 1051: « excepta prole *adulterina* ». Filius minor non est adulterinus, utpote conceptus et natus postquam pater morte uxoris legitimae iam erat a vinculo solutus. Sed filius maior conceptus est ante mortem huius uxoris; natus tamen post eius mortem. Inquirendum igitur est, utrum ipse sit proles adulterina?

Quaestionem utrum filius conceptus coitu adulterino, sed natus quando parentes erant apti ad contrahendum, sit adulterinus non inveni apud auctores. Neque ex modo quo definiunt prolem adulterinam aliquid cum certitudine eruere possumus. Verba « qui ex adulterio sunt procreati » (Gasparri n. 1112; Aertnys-Damen n. 874; Wernz-Vidal n. 607) aut « qui ex adulterio gignuntur » (De Smet) potius considerant solam conceptionem. Verba Cappello « ex adulterio nati » magis favent proli, dummodo auctor scribens haec

[1] Canon 1051 secumfert aliquas consequentias, de quibus personae educatione iuridica carentes mirari possunt. Sequitur enim quod proles Ritae non posset legitimari, si matrimonio invalido ob impedimentum vinculi nunc cessatum non obstaret aliud impedimentum, scilicet consanguinitas. Sane, lex non est condita, ut huiusmodi consequentiae evocentur. Consequentiae inconsuetae semper haberi possunt, in circumstantiis non consuetis.

Neque consequentia designata est unica huius generis. Cum canon 1051 agat de solo impedimento *dirimente*, sequitur quod, si matrimonio obstat impedimentum *impediens*, puta votum simplex aut mixta religio, legitimatio prolis non habetur ex sola dispensationis concessione, sed requiritur matrimonium reapse contractum. In tali casu tunc non habetur proles legitimata, si matrimonium morte impediatur. Etiam haec est consequentia de qua mirari possumus. Causam habet in evolutione historia huius iuris, Ius non conditur independenter a vita iuridica anteacta et cum ea intime cohaeret. Hoc secumfert multa commoda, aliqua tamen etiam incommoda.

verba ad nostram quaestionem attenderit. Secus eius opinionem non manifestant.

Nobis videtur tenenda doctrina quae docet prolem esse adulterinam, si coitus, quo concepta est, fuerit adulterium, independenter a statu parentum tempore nativitatis. Rationes sunt: 1) notio « adulterinus » non proprie respicit nativitatem seu partum. « Legitimus » est notio, quae respicere potest tam conceptionem quam nativitatem. Nam legitimitas directe respicit *statum* genitorum, qui status se extendit ad spatium temporis ideoque existere potest tempora nativitatis, quamvis non adfuerit tempore conceptionis. Sed adulterinus non respicit nisi *actum* coitus. Status non est adulterinus, sed actus seu coitus est adulterinus. Loquimur quidem de concubinatu adulterino, sed hoc est in sensu improprio; nam talis concubinatus est causa permanens actuum qui constituunt adulterium. Neque quis dicet filium conceptum coitu adulterino et natum post mortem patris non esse filium adulterinum, quia tempore nativitatis inter genitores non amplius habebatur concubinatus adulterinus. Quare quaestio nostra solvi debet, ut videtur, analogia cum regula canonis 1114, qua ut filius legitimus excluditur filius *conceptus* tempore quo usus matrimonii erat parentibus prohibitus ob solemnem professionem aut susceptum ordinem sacrum.

Tunc dicendum est adulterinum esse filium conceptum coitu adulterino. Huiusmodi filius non cessat esse adulterinus si nascatur tempore quo coitus illicitus parentum non amplius fuisset adulterinus sed fornicarius. Verum tamen est, quod si filius conceptus ex coitu adulterino fuisset natus tempore quo parentes iam legitime erant matrimonio iuncti, post mortem prioris uxoris, non esset adulterinus, quia non esset illegitimus. Est legitimus ratione *nativitatis ex legitimo matrimonio*. Filius adulterinus enim est species filii illegitimi. Sed vocari potest legitimus, tamen in adulterio conceptus.

Sequitur parochum non omnino recte adnotasse in libro effectum dispensationis, quam Ritae moribundae concessit. Solus filius minor est legitimatus. Filius maior non, nam adulterinus. Ipse legitimari non potest nisi formali rescripto S. Sedis.

Dr. L. Bender. O. P.

QUINAM SIT IN SINGULIS NATIONIBUS REI ECCLESIASTICAE ALIENANDAE VALOR CHARTACEUS, ULTRA QUEM REQUIRATUR LICENTIA SEDIS APOSTOLICAE.

Ut notum est, Codex Juris Canonici statuit, et quidem ad validitatem actus, ut, ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiratur licentia Sedis Apostolicae, si agatur de rebus quae valorem excedunt triginta millia libellarum seu francorum (cfr. can. 534 § 1; 1530 § 1, n. 3°; 1532 § 1 n. 2°).

Cum vero dictus valor chartaceus, oeconomicis praesertim perturbationibus post novissimum immane bellum exortis, impar evaserit, Sancta Sedes decrevit ut, perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum ipsius S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam esset recurrendum quotiescumque ageretur de pecuniae summa quae decem millia francorum seu libellarum aureorum excederet (cfr. *A. A.S.* vol. 43 pag. 602; *Monitor Eccles.* vol. 76 pag. 574).

Non una tamen fuit interpretatio praefati valoris aurei.

Ne igitur in re tanti momenti, et ad ipsam actus validitatem requisita, dubium exurgere posset, Sancta Sedes ita nunc constabilire censet quinam sit rei ecclesiasticae alienandae valor chartaceus, ultra quem in singulis Nationibus requiratur licentia ipsius S. Sedis:

AEGYPTUS = Libellae aegypt.	2.000
AMERICA Septemprionalis et Centr. = Dollaria U.S.A.:	5.000
ARGENTINA = Pesos argent.	100.000
BELGICA = Franc. belg.	250.000
BRASILIA = Cruzeiros	150.000
BRITANNIA = Libellae sterl.	2.000
CANADA = Dollaria canad.	5.000
COLUMBIA = Pesos columb.	15.000
GALLIA = Franc. gallici	2.000.000
GERMANIA = Marchi	20.000
HELVETIA = Franc. helvet.	20.000
HISPANIA = Pesetas	200.000
HOLLANDIA = Floreni holland.	20.000
INDIA = Rupiae indianae	25.000
ITALIA = Libellae italicae	3.000.000

LUSITANIA = Scutata lusitan.	150.000
PHILIPPENSES INSULAE = Pesos philipp.	15.000
TURCHIA = Libellae turc.	20.000
URUGUAY = Pesos urug.	15.000
VENEZUELA = Bolìvares	15.000

In Nationibus autem, quae in superiore tabella non nominantur, servetur valor chartaceus Nationum viciniorum, quae in analogis oeconomicis conditionibus inveniantur.

Praeterea summa « mille libellarum seu francorum », de qua in § 2 canonis 1532, est tricesima pars valorum in dicta tabella relatorum.

Uti patet, hae normae valent pro omnibus entibus ecclesiasticis in aliqua Natione exsistentibus a quolibet S. Sedis Dicasterio ratione competentiae dependentibus.

Quoties demum urgeat necessitas, evidens sit utilitas et periculum sit in mora, Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici, vi Facultatum Quinquennalium ipsis concessarum, permittere possunt alienationem bonorum ecclesiasticorum vel piarum causarum usque ad duplum (pro regionibus Europae) vel triplum (pro regionibus extra Europam) valorem supra relatae tabellae, sub lege tamen ut de peracta alienatione S. Congregatio, cui ad normam Codicis Juris Canonici competit, intra annum edoceatur.

* * *

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

LEGISLAZIONE

LEGGE - 18 dicembre 1952 n. 2522 (in *Gazz. Uff.* 8 gennaio n. 5) **Concorso dello Stato nella costruzione di nuove Chiese.**

La Camera dei deputati ed il Senato della Repubblica hanno approvato;

IL PRESIDENTE DELLA REPUBBLICA

PROMULGA

la seguente legge:

ART. 1.

Il Ministero dei lavori pubblici è autorizzato a concedere agli ordinari diocesani che provvedono sia al completamento o alla costruzione delle chiese parrocchiali, per parrocchie già esistenti o da costituirsi, sia alla costruzione degli edifici adibiti ad uso di ministero pastorale, di ufficio o di abitazione del parroco, un contributo pari alla spesa ammessa per l'acquisto delle aeree nel caso che non siano fornite gratuitamente da altri enti, e a quella relativa alla costruzione del rustico degli edifici.

Il numero e l'ampiezza degli ambienti degli edifici adibiti ad uso di ministero pastorale, d'ufficio e di abitazione sono stabiliti in rapporto al numero dei parrocchiani.

Per costruzione al rustico s'intende la costruzione dei muri, della copertura, comprese le opere di impermeabilizzazione ed allontanamento delle acque piovane, dei solai, degli infissi, esclusi gli impianti, le rifiniture, i pavimenti, le opere d'arte ed esclusi anche gli altari, la vasca battesimale, le balaustre, i banchi e in genere tutto l'arredamento.

Le disposizioni della presente legge non si applicano alle chiese distrutte o danneggiate da offese belliche, anche per quanto concerne il loro ampliamento.

ART. 2.

Il contributo dello Stato preveduto dall'articolo precedente è corrisposto dopo il collaudo delle opere eseguite con il contributo medesimo. Sono tuttavia ammesse liquidazioni parziali in corso di opera in base a stati di avanzamento dei lavori.

Per ottenere il contributo preveduto dall'art. 1 gli ordinari diocesani devono presentare domanda, tramite la Commissione Pontificia

centrale per l'arte sacra, al Ministero dei lavori pubblici, allegando una relazione atta a dimostrare la necessità dell'opera, il progetto di massima ed il visto di approvazione della predetta Commissione Pontificia per quanto concerne la rispondenza dell'opera stessa ai precetti della liturgia e dell'arte sacra.

La Pontificia Commissione rimette gli atti al Ministero dell'interno, il quale, entro due mesi, deve inviarli al Ministero dei lavori pubblici, pronunciandosi in merito.

